

**Recherches de
Théologie et Philosophie médiévales**

**Bibliotheca
10.4.1**

DVRANDI DE SANCTO PORCIANO

**SCRIPTVM SVPER IV LIBROS
SENTENTIARVM**

Editioni curandae praesidet Andreas Speer

Distinctiones 1-7 libri Quarti

ediderunt Guy Guldentops

et

Gianfranco Pellegrino

PEETERS

LIBER QVARTVS

<DISTINCTIO PRIMA

QVESTIO PRIMA

VTRVM POST LAPSVM HOMINIS IN PECCATVM DEBVERINT ALIQA SACRAMENTA INSTITVI>

- 5 [A1-B1] Circa quartum librum Sententiarum primo queritur de sa- *L1ra*
cramentis in generali, deinde in speciali. In generali primo queritur
utrum post lapsum hominis in peccatum debuerint aliqua sacramenta
institui *. Videtur quod non, quia, ut dicit APOSTOLVS II T i m . 4, *cor-*
10 *poralis exercitatio ad modicum utilis est; set usus sacramentorum pertinet*
ad corporalem exercitationem (administrantur enim exhibitione rerum
corporalium); ergo ad modicum ualent; set talia non fuerunt instituen-
da pro salute hominis; ergo etc.
- [A2-B2] *Preterea contraria contrariis curantur; set homo morbum pec-*
15 *cati* incurrit occasione rerum corporalium, ut patet G e n . 3: Videns
mulier etc.; ergo *modus curationis* non debuit esse per corporalia, qualia
sunt sacramenta.

[A3-B3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS XIX C o n t r a
 F a u s t u m : *In nullum nomen religionis seu uerum seu falsum coadunari
 homines possunt, nisi aliquo signaculorum uel sacramentorum uisibilium
 consortio colligentur; set in Ecclesia Dei est uerissima religio; ergo oportet
 in ea esse huiusmodi signa, et hec sunt sacramenta.* 20

[A4-B4] Responsio. Quia principium in omni disputatione est scire
 quid importatur per nomen, ideo sic procedetur. Primo uidebitur quid
 importatur nomine sacramenti, et secundo qualiter diffinitur seu notifi-
 catur, et tertio declarabitur principale quesitum. 25

[A5-B5] Quantum ad primum sciendum est quod significatum
 huius nominis possumus conuincere a simili et ex usu communi. A si-
 mili, quia, sicut *medicamentum* dicitur *a medicando* - est enim medica-
 mentum quo aliquis medicatur uel curatur - et ornamentum ab ornan-
 do - est enim ornamentum quo aliquis ornatur, sic *sacramentum* dicitur 30
a sacrando: est enim sacramentum quo | homo sacratu r uel sanctificatur.
 Quo autem aliquis sanatur dicitur dupliciter: uno modo sanatur quan-
 doque quis sola uirtute interioris nature nullo extrinseco adhibito, et
 qui sic sanatur non dicitur sanari per medicamentum; alio modo sana-
 tur quis adhibito aliquo extrinseco quod est confortatiuum nature et 35

expulsiuum morbi, et illud habet rationem medicamenti: est enim medicamentum aliquid extrinsecus adhibitum ad effectum curationis corporalis. Similiter sacratur uel sanctificatur homo dupliciter: uno modo per solum motum contritionis non excludendo actionem Dei remittentis culpam et conferentis gratiam, set excludendo omne extrinsecum ad sanctificationem hominis appositum, et qui sic sanctificatur non sanctificatur per sacramentum, set solum quando ad eius sanctificationem aliquid extrinsecum adhibetur, non spirituale, quia lateret, set corporale. Est igitur sacramentum aliquid corporale uel sensibile extrinsecus homini appositum ad effectum sanctificationis. Idem habetur ex *communi usu* DOCTORVM. Sic enim utitur AVGVSTINVS nomine sacramenti dicens quod sacramentum est *in quo sub tegumento rerum uisibilium *diuina uirtus* salutem nostram secretius operatur*, et MAGISTER, qui dicit in littera quod *sacramentum est sacre rei signum*, supple: ad sanctificandum *appositum*. Et sic patet primum.

[A6-B6] Quantum ad secundum sciendum est quod de ratione sacramenti sic sumpti sunt tria, scilicet naturalis similitudo, actualis institutio et spiritualis sanctificatio, ut dicit HVGO De sacra mentis lib. I parte 9 cap. 2. Non enim omne elementum est materia cuiuslibet sacramenti, set illud quod ex natura | sua habet aliquam similitudinem cum effectu sacramenti: sicut aqua, que est summe mundatiua, habet naturalem similitudinem cum effectu baptismi, qui est emundatio ab omni

V76rb

M152va culpa. Nec sufficit naturalis similitudo, set requiritur diuina | institutio,
E2rb quia res corporales | de se non habent ordinem ad spiritualem sanctificatio- 60
 nem, set oportet quod ad hoc diuinitus ordinentur. Requiritur nichilo-
 minus spiritualis sanctificatio, quia materia sacramenti, quod consi-
 stit in usu, propter eucharistiam, que consistit in consecratione materie,
 sanctificatur in se, ut in ordine et confirmatione et extrema unctione,
L1rb uel in suo simili, ut in aqua baptismi, que tota | sanctificata fuit in illa 65
 que in baptismo Christi tetigit corpus eius, quoniam secundum BEDAM
K1rb | Christus tactu sue mundissime carnis uim regeneratiuam contulit | 65
Na62rb aquis. Secundum hoc sacramentum diffinitur dupliciter: uno modo ab
 HVGONE *libro* De sacramentis *ut* supra, quod *sacramentum est*
materiale elementum, accipiendo elementum large pro omni re corporali,
extrinsecus oculis suppositum ex institutione significans quantum ad secun- 70
 dam condicionem, *ex similitudine representans* quantum ad primam, *ex*
sanctificatione inuisibilem gratiam continens quantum ad tertiam. | Et
P84rb AVGVSTINVS De doctrina *christiana* lib. II dicit quod sa-
 cramentum est *inuisibilis gratie uisibilis forma*, idest similitudo quantum
 ad primam condicionem, et MAGISTER addit in littera: *ita ut eius imagi-* 75
nem gerat ex diuina institutione, quantum ad secundam, *et causa existat*
ex sanctificatione quantum ad tertiam. Et sic patet secundum.
 [A7-B7] Quantum ad tertium sciendum quod questio unum suppo-
 nit et aliud proponit. Supponit quod in statu innocentie et ante peccatum

80 nullum sacramentum debuit institui, et rationabiliter, quia ubi non est
 timendum de morbo, non est opus medicamento (*non est opus ualentibus*
medicus, M a t h . 9); set ante peccatum non erat morbus nec erat timen-
 dum de morbo quin sufficienter et faciliter posset ei resisti absque admi-
 niculo exteriori (sic enim secundum OMNES fuit instituta natura in statu
 85 innocentie quod poterat | non solum sufficienter, immo faciliter uitare *M152vb*
 quodcumque peccatum); ergo tunc non fuit opus aliquo medicamento.
 Set sacramenta sunt quedam medicamenta, ut dictum est; ergo etc.

[A8-B8] Nec obstat de matrimonio, quod tunc institutum fuit, quia
 cum tunc *non fuisset* durante statu illo *in remedium* | concupiscentie, que *Z150rb*
 90 nulla fuisset, *set* solum *in officium*, *non fuisset* medicamentum, quare nec
sacramentum. Et si dicatur quod erat signum sacre rei, ergo sacramen-
 tum, dicendum quod si status ille semper durasset, matrimonium non
 fuisset signum coniunctionis Christi et Ecclesie per assumptam huma-
 nitatem, quia si homo non peccasset, filius Dei incarnatus non fuisset,
 95 ut communius tenetur. Set esto quod matrimonium tunc fuerit signum
 coniunctionis Christi et Ecclesie, *tamen non* propter hoc fuit tunc sa-
 cramentum, quia non omne signum sacre rei est sacramentum, set quod
 ex institutione diuina adhibetur ad curationem uel preservationem mor-
 bi spiritualis, quod non fuit pro tunc de matrimonio.

Vtrum autem post peccatum debuerunt institui, sicut querit que- 100
stio, dicendum quod *hoc uerbum 'debet' uenenum habet*, ut dicit MA-
GISTER lib. I dist. 43: sumitur enim quandoque pro debito obligatio-
nis, quandoque pro debito congruitatis. Primo modo non debuerunt
sacramenta institui, quia minus est reddere equiualens alicui quam
V76va constituere eum debitorem; set Deo non possumus | reddere equiu- 105
alens multo minus quam parentibus; ergo non possumus eum consti-
tuere debitorem; et ideo quicquid facit circa nos, totum est gratui-
tum, non debitum, ut plenius *uisum* est lib. II dist. 41. Loquendo
autem de debito congruitatis, quod sumitur ex fine, dicendum *est*
quod sacramenta debuerunt institui post peccatum. Quod patet ex 110
duobus: primo, quia omni tempore fuerunt necessaria ad salutem fides
et opera protestantia fidem in hiis dumtaxat quibus *inerat* facultas
M153ra operandi; | et de fide quidem hoc patet, quia naturalis cognitio non
E2va potest hominem dirigere respectu finis | supernaturalis, in quo salus
eius consistit; de operibus etiam patet, quia *fides sine operibus mortua* 115
est, I a c. 2; ergo post peccatum necessaria fuit fides de reparatore et
opera protestantia fidem hanc; set illa fuerunt quedam medicamenta
saltem per modum signi, cum essent protestantia medicum; ergo fue-
B25rb runt | quedam sacramenta.

120 [A9B9] Secundo, quia illud fuit congruum institui post auersionem
a Deo per peccatum per quod homo reducitur ad Deum quantum ad
intellectum, affectum et exteriorem actum (quantum enim ad hec con-
tingit hominem abduci a Deo uel reduci in Deum); set per sacramen-
ta homo reducitur | in Deum quantum ad hec tria; ergo etc. Assumpta *K1va*

125 probatur: contingit enim circa sensibilia auerti a Deo quantum ad
intellectum, cum nichil creditur esse preter sensibilia uel cum credun-
tur esse *summe* bona; quantum ad affectum, cum quis bonis sensi-
bilibus | adheret tamquam summis Deo postposito; quantum ad exte-
riorem | actum, cum aliquis deordinate eis utitur contra rationem uel *Na62va*

130 diuinum preceptum. Set econtra homo in sacramentis per sensibilia
in Deum reducitur quantum ad intellectum, cum per ea de spirituali-
bus eruditur; quantum ad affectum, cum ob reuerentiam diuinam eis
subicitur; quantum ad exteriorem actum, cum circa ea ad honorem
Dei exercitatur. Et iste sunt tres cause, quas MAGISTER ponit in litte-
135 ra, quare sacramenta fuerunt instituta, scilicet causa eruditionis quoad
intellectum, causa humiliationis quoad affectum, causa exercitationis
quoad exteriorem actum. Et sumuntur hee cause ab HVGONE libro *L1va*

I De sacramentis parte 9 cap. 2. Iuxta quod notandum quod,
 cum sacramenta sint quedam opera protestantia fidem de reparatore,
 ut dictum est, secundum | incrementa fidei creuerunt | et sacramenta. 140
M153rb
P84va Creuit autem fides processu temporum quantum ad explicationem
 articulorum, et primo tempore Abrahe, qui et 'pater fidei' dicitur,
 et hic adhuc existens in tempore legis nature accepit sacramentum
 nouum siue signaculum fidei, circumcisionem, ut patet *Gen.* 17. Et
 hoc fuit necessitatis quantum ad masculos post octauum diem. Cetera 145
 autem que precesserunt, ut sacrificia, decime et oblationes, fuerunt
 uoluntatis et necessitatis: necessitatis in communi, ut scilicet aliquid
 facerent in protestationem fidei sue, set in speciali erant uoluntatis.
 Poterant enim eligere hoc uel illud pro libito suo. Deinde tempore
 Moysi fides in tantum creuit ut non solum in una familia esset, set 150
 in tota una gente, cui data fuit lex, que non nisi populo dari potest,
 quia legis positua pars est politice; propter quod tunc addita sunt
 plurima sacramenta, ut patet in *Exod.* *, *Leu.* et libro *Num.* VI-
 timo post aduentum Christi fides perfecte declarata est et exhibitum 155
 est per Christum quod in lege fuerat promissum. Et quia aliis signis
 oportet significari presentia, preterita et futura, ut dicit *AVGVSTINVS*
XIX Contra Faustum, ideo preter sacramenta ueteris legis, qui-
V76vb bus prenuntiabantur futura de Christo, oportuit quod essent alia, |

160 quibus significarentur illa que fuerunt exhibita per Christum. Et hec euacuauerunt alia, sicut *euacuatur umbra per ueritatem*.

[A10-B10] Ad primum argumentum dicendum quod APOSTOLVS loquitur de exercitatione, que est pure corporalis. Exercitatio autem que est in sacramentis non est pure corporalis, cum requirat spiritua-lem preparationem et in eis queratur spiritualis effectus.

165 [A11-B11] Ad secundum dicendum quod non solum contraria *curantur contrariis*, set eisdem contrario modo acceptis: *per eadem enim contrario modo facta fit uirtus et | corrumpitur, ut docetur II Eth i-* *corum*. Et ideo sicut homo peccauit | adherendo sensibilibus propter se, sic curatur in sacramentis subiciendo se sensibilibus propter Deum.

M153va

Z150va

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM SACRAMENTA CONSISTANT IN REBVS ET VERBIS>

[A1-B1] Secundo queritur utrum sacramenta consistant in rebus et uerbis. Videtur quod non, quia *sacramenta noue legis succedunt sacramentis ueteris legis: illis enim | ablatis ista sunt instituta, ut dicit AVGVSTINVS* 5
Contra Faustum XIX; set in sacramentis ueteris legis non requirebatur aliqua forma uerborum, ut uidetur; ergo nec in sacramentis noue legis.

[A2-B2] Item in quibusdam sacramentis sunt uerba sine elementis corporalibus, sicut in penitentia et matrimonio. Ergo similiter in aliquibus sacramentis debent sufficere elementa uel res corporales sine uerbis. 10

[A3-B3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS Super Ioan-
 nem homilia 80 *Accedit uerbum ad elementum, et fit sacramentum.*
 Et APOSTOLVS Eph. 5: *Christus dilexit Ecclesiam et tradidit semet ipsum*
pro ea ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aque | in uerbo uite. 15

[A4-B4] Responsio. Principalis causa quare sacramenta consistunt in
 hiis uel in illis * est institutio diuina, quia, sicut Deus, qui non alligauit
 uirtutem suam sacramentis, potuit absque sacramentis reparare genus
 humanum, sic reparando genus humanum per sacramenta potuit ea in-
 stituere in quibus uoluit. Potest tamen assignari | quedam congruitas,
 15

- 20 quare instituta | sunt in quibusdam magis quam in aliis. Et secundum hoc dicenda sunt tria. Primum est quod omnia sacramenta noue legis consistunt in uerbis. Secundum est quod non omnia consistunt in uerbis et rebus, set quedam sic et quedam non. Tertium est quod sacramenta ueteris legis ut communiter consistebant in rebus absque uerbis. *Na62vb*
- 25 [A5-B5] Primum patet ex duobus. Primo ex hoc quod sunt instrumenta | nostre sanctificationis, quia instrumentum debet congruere principali agenti; set sacramenta sunt instrumenta Christi sanctificantis hominem; ergo debent ei congruere: hoc autem fit per hoc quod consistunt in uerbis. Ergo etc. Minor declaratur. Christus enim sanctificat nos effectiue in quantum Deus, set meritorie in quantum homo. *M153vb*
- 30 Quantum autem ad utrumque congruit quod sacramentum, quia est instrumentum Christi nos sanctificantis, consistat in uerbis uocalibus, quia, cum sit triplex uerbum, mentis, imaginationis et uocis, primum assimilatur uerbo in diuinis, secundum assimilatur ei, ut dispositum
- 35 fuit incarnari, tertium assimilatur ei, ut iam incarnato. Sicut enim humanitas est habitus circundans diuinitatem, sic uerbum uocis est quasi inuoluens uerbum mentis; *sunt enim ea que sunt in uoce earum que sunt in anima passionum note*: et ita uerbo incarnato, quod est principalis causa nostre sanctificationis, maxime congruit ut instrumentum
- 40 uerbum uocis. Secundo patet idem ex hoc quod sunt signa, quia signa presentium et exhibitorum debent esse expressiua, sicut et presentia

P84vb certius possunt | cognosci; set sacramenta noue legis sunt signa eorum
V77ra que per Christum sunt exhibita et eorum que presentialiter exhiben-
 tur in administratione eorum, nisi suscipiens ponat obicem; ergo de-
 bent esse expressiua; set *inter signa* uoces *tenent principatum* secundum 45
 AVGVSTINVM. Ergo omnia sacramenta noue legis debent consistere in
 uerbis.

[A6-B6] Secundum patet, scilicet quod non omnia consistunt in
 uerbis et rebus, set solum quedam. Sunt enim quedam sacramenta 50
 que solum conferunt sanctitatem suscipienti, ut penitentia et matri-
 monium, alia uero conferunt sanctitatem et ultra hoc mancipationem
 ad aliquid sacrum, ut baptismus mancipat hominem ad susceptionem
 sacramentorum, ordo ad administrationem ipsorum, confirmatio facit
 pugilem uie, extrema unctio pro termino uie. Ex hoc sic arguitur. Sa-
 cramenta que sunt perfectiora in efficiendo debent esse perfectiora in 55
M154ra significando: efficiunt enim quod significant. Set sacramenta | que con-
 ferunt non solum sanctitatem set mancipationem ad aliquid sacrum
 sunt perfectiora in efficiendo quam alia que solum conferunt sanctita-
 tem, ut de se patet. Ergo et in significando. Set hoc non esset nisi preter
 uerba, que sunt communia omnibus sacramentis noue legis, include- 60
 rent aliquod aliud signum, scilicet rem elementarem uel corporalem;
 quare etc. In cuius signum uidemus quod res corporalis, que exigitur

in talibus sacramentis, congruit officio ad quod mancipatur, ut patet in instrumentis que traduntur ordinatis, et in unctione, que fit confirmatis et infirmis: unguuntur enim pugiles ut ab hoste minus possint teneri.

65 [A7-B7] Set contra hoc dupliciter obicitur. Primo contra conclusionem, quia eucharistia solum confert | sanctitatem et non mancipationem ad actum sacrum, et tamen consistit in *uerbis et rebus*. Secundo
 70 contra rationem per idem, quia eucharistia est dignissimum et nobilissimum sacramentum, et tamen non mancipat hominem ad aliquid sacrum. Ergo sacramenta que mancipant hominem ad | aliquid | non
 75 semper sunt digniora. Cuius oppositum assumebatur pro ratione ad conclusionem. Dicendum ad hoc quod inter omnia sacramenta solum sacramentum eucharistie consistit in consecratione materie et non in
 80 usu: dato enim quod numquam sumeretur hostia consecrata, nichilominus esset uerum et perfectum sacramentum. Propter quod dignitas huius sacramenti consistit potissime in eo quod continet et non in eo quod confert suscipienti. Cum ergo comparauimus prius sacramenta secundum dignitatem et illa diximus digniora que mancipant hominem
 ad actus sacros quam alia que solum conferunt sanctitatem, | intelligendum est de sacramentis que consistunt in usu, quorum dignitas attenditur ex hoc quod conferunt | suscipienti. Et inter hec uerum est quod illa sola consistunt | in uerbis | et rebus, que mancipant hominem ad actus

*E3ra**Z150vb**K2ra**Na63ra**B25va**M154rb**L2ra*

sacos. Eucharistia autem est extra ordinem talium sacramentorum et alterius rationis est eius dignitas. Ideo instantie de eo facte non sunt ad propositum. 85

[A8-B8] Tertium patet, scilicet quod sacramenta ueteris legis *ut* communiter consistebant in rebus absque uerbis, quia sicut *lex* uetus fuit *umbra* legis noue, ut dicit APOSTOLVS H e b r. 10, sic sacramenta ueteris legis fuerunt umbra et *figura sacramentorum* noue legis, ut dicit 90 HVG O D e s a c r a m e n t i s lib. I parte 11 cap. 1. Set obscuritas representationis magis fit per signa uel per res sensibiles quam per uoces, que *inter signa obtinent principatum* secundum AVGVSTINVM. Quare rationale fuit ut sacramenta ueteris legis consisterent in rebus absque uerbis. 95

V77rb | N e c r e c o r d o r q u o d i n a l i q u o s a c r a m e n t o u t e r e n t u r u e r b i s e x c e p t o s a c r a m e n t o | z e l o t i p i e , d e q u o h a b e t u r N u m . 5 , c u i u s f o r t e r a t i o e s t q u i a n o n t a n t u m f i e b a t a d f i g u r a n d u m f u t u r a s i c u t a d e x h i b e n d u m a l i q u a p r e s e n t i a l i t e r , n o n q u i d e m s p i r i t u a l i a , u t s a c r a m e n t a n o u e l e g i s , s e t c o r p o r a l i a , q u e s i g n i f i c a b a n t u r p e r u e r b a i b i d e m e x p r e s s a . V e r u m t a m e n i n

100 orationibus, benedictionibus, gratiarum actionibus erat usus uerborum in ueteri lege, sicut in noua, propter eandem rationem.

[A9-B9] Ad argumenta patet responsio ex iam dictis: procedunt enim uiis suis.

<QVESTIO TERTIA

VTRVM SACRAMENTA NOVE LEGIS SINT CAUSA GRATIE>

[A1] Tertio queritur utrum sacramenta noue legis sint causa gratie. Arguitur quod non. *Nullum corporale potest agere in rem*
 5 *spiritualem eo quod agens est honorabilius patiente, ut AVGVSTINVS dicit XII Super Genesim ad litteram* et idem habetur III De anima; *set subiectum gratie est mens humana, que est res spiritualis*; ergo sacramenta, que sunt quedam corporalia, non causant in anima gratiam.

10 [A2] Item si sunt causa gratie, aut sunt uniuoca aut equiuoca; neutro modo sunt; ergo etc.

Probatio minoris. Non sunt causa uniuoca, quia tunc eodem modo esset gratia in sacramentis et in anima, quod falsum est, cum sacramenta non sint susceptiua gratie formaliter sicut ani-

deest B

P.87ra

ma, nec equiuoca, quia causa equiuoca nobilior est effectui; set sacramenta non sunt aliquid nobilius gratia; ergo etc.

[A3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS Super Io-
annem quod aqua baptismalis *corpus tangit et cor abluit; set
cor non abluatur a macula culpe nisi per gratiam; ergo baptismus
causat gratiam et pari ratione alia sacramenta.*

[A4] Item *opposita nata sunt fieri circa idem. Set causalitas cul-
pe potest inesse rei corporali, ut semen parentum, mediante quo tra-
ducitur originale peccatum. Ergo et causalitas gratie potest inesse
rebus corporalibus, utpote sacramentis.*

[A5] Responsio. Hic est duplex modus dicendi. Primus est
quod ex sacramentis sequuntur duo effectus in anima. Primus
effectus est character in sacramentis imprimendis characterem
uel aliquis alius ornatus anime in sacramentis non imprimen-
tibus characterem. Secundus est gratia. Respectu primi effectus,
scilicet characteris uel alterius ornatus, est in sacramentis quedam
uirtus a Deo influxa, que est causa effectiua per modum agentis
instrumentalis, set respectu gratie solum est causa dispositiua
dispositione que est necessitas, nisi sit impedimentum ex par-
te recipientis. Primum probatur auctoritatibus et rationibus.
Primo auctoritate AVGVSTINI, que iam arguendo tacta est (dicit
enim sic quod est *tanta uis aque ut corpus tangat et cor abluat*),
et BEDA in Homilia dicit super illud *Venit Iesus ad Iordanem*
quod Christus tactu mundissime sue carnis uim regeneratiuam

deest B

20

25

30

35

40 contulit aquis. MAGISTER etiam diffiniendo sacramentum dicit
 quod *sacramentum est inuisibilis gratie uisibilis forma ita ut eius*
imaginem gerat et causa existat; set non essent causa, nisi esset in
 eis aliqua uirtus causatiua; ergo etc.

Est etiam ad idem duplex ratio. Prima, quia non minus
 potest corpus agens ut instrumentum diuine iustitie punientis
 45 quam sacramentum agens ut instrumentum diuine misericordie
 iustificantis; set primo modo corpus agit in spiritum, ut patet in
 spiritibus dampnatis, qui affliguntur igne corporeo; ergo secun-
 do modo sacramenta possunt agere in animabus causando in eis
 diuinam gratiam iustificantem. Secundo sic, quia non minus
 50 potest secundus Adam, scilicet Christus, quam primus, sicut di-
 citur R o m . 5 capitulo; set primus Adam potuit transfundere in
 ceteros posteros iustitiam originalem per uirtutem seminis; ergo
 et secundus Adam, scilicet Christus, potest dare iustitiam spiri-
 tualem mediantibus | sacramentis; hoc autem esse non potest,
 55 nisi in eis esset aliqua uirtus causatiua gratie; ergo etc. Modus
 autem huius positionis talis est: dicunt ISTI quod omne instru-
 mentum, dum mouetur a principali agente, recipit ab eo uirtu-
 tem aliquam per quam aliquid producit ultra illud quod secun-
 dum suam naturam produceret. Et illud quandoque est ultima
 60 forma, sicut qualitates elementares instrumentaliter agentes in
 uirtute | formarum substantialium pertingunt ad educendum
 formas substantiales de potentia materie; quandoque uero non

deest B

V77va

P,87rb

est ultima forma, set dispositio ad formam, sicut uirtus que est in semine hominis pertingit ad dispositiones necessitatis respectu anime rationalis et non ad ipsam animam rationalem, quod non posset, nisi in uirtute anime ageret omnino. Sic est in sacramentis, ut sunt instrumenta mota a Deo, quia in eis est uirtus a Deo influxa que instrumentaliter pertingit ad causandum characterem uel aliquam dispositionem. Set non attingit ad gratiam propter eius perfectionem nisi dispositiue, sicut uirtus seminis hominis non attingit ad animam, set ad dispositionem anime. Circa autem hanc opinionem sunt quedam dubia.

[A6] Primo contra conclusionem quantum ad hoc quod ponit quod in sacramentis sit aliqua uirtus causatiua gratie qualitercumque. Hoc enim QVIBVS DAM non uidetur: primo, quia illa uirtus uel est corporalis uel spiritualis: non corporalis, quia non posset in spiritualem effectum; nec spiritualis, quia nec spirituale potest esse subiectiue in corpore: iam enim esset corporale et non spirituale. Cuius ratio est quia, sicut aliquid dicitur spiritus uel spirituale, sic aliquid dicitur corpus uel corporale. Spiritus autem dicitur quod est tale essentialiter, ut dicitur I o h . 4: *Spiritus est Deus*, uel angeli in Ps . : *Qui facis angelos suos spiritus*, uel anima rationalis, I C o r . 2: *Quis enim scit hominum, que sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso?* Spirituale uero dicitur forma que est subiectiue in spiritu, ut scientia uel gratia. Et eodem modo dicitur aliquid corpus uel corporale, quia corpus dicitur quod est essentialiter tale, utpote illud quod includit materiam et formam dantem esse corporeum; corporale uero dicitur

deest B

65

70

75

80

85

forma cuius natura est produci et esse in corpore. Cum igitur
 90 uirtus, si qua sit in sacramentis, sit in rebus corporalibus, mani-
 festum est quod ipsa est corporalis, non spiritualis.

[A7] Ad hoc respondent ALIQUI dupliciter: primo contra hoc
 quod dictum est quod uirtus corporalis non potest in effectum
 spiritualement. Dicunt enim quod hoc falsum est, quia fantasma,
 95 cum sit quoddam corporale, agit in intellectum possibilem cau-
 sando in eo intellectionem uel cognitionem, quorum utrumque
 est spirituale tam subiectum actionis quam terminus. Ergo eo-
 dem modo potest esse in proposito, quia licet uirtus sacramen-
 torum sit corporalis, potest tamen in effectum spiritualement, puta
 100 caracterem uel aliquem ornatum.

[A8] Contra secundum, scilicet quod illa non sit spiritua-
 lis, similiter arguunt. Primo dicunt enim quod *uirtus potest dici*
spiritualis dupliciter uel corporalis dupliciter: uno modo *a sub-*
iecto, quia habet spiritum uel corpus *pro subiecto*; alio modo a
 105 principio effectiuo, et sic uirtus dicitur corporalis que causatur
 in aliquo ab agente corporali, spiritualis uero que non potest
 causari nisi a spiritu. Primo modo uerum est quod uirtus que
 est in sacramentis, est corporalis et non spiritualis, quia habet
 pro subiecto corpus et non spiritum; set secundo modo est spi-
 110 ritualis et non corporalis et sic saltem instrumentaliter potest in
 spiritualement effectum. Secundo, quia, licet nulla uirtus spiritualis
 possit esse in corpore per modum habitus permanentis, potest
 tamen esse in eo per modum fluxus uel passionis transeuntis, et
 per modum hunc uirtus illa ponitur esse in sacramentis, quia
 115 uirtus proportionatur agenti. Instrumentum autem non agit
 nisi | motum et ideo uirtus agentis principalis non recipitur in
 eo nisi in quodam fluxu et motu.

deest B

B25vb

<i>V77vb</i>	[A9] Set ista non cogunt. Primum non quia, sicut uisum est lib. II dist. 3, fantasmata non agunt in intellectum possibilem aliquid imprimendo, set solum sunt causa sine qua non fit intellectio. Et ideo falsum assumit COMMENTATOR quod fantasmata, licet sint corporalia, aliquid tamen influunt in intellectum possibilem. Secundum etiam non ualet, quia nulla uirtus dicitur spiritualis ex hoc quod est a principio spirituali; alioquin forma celi, que est a solo Deo, esset spiritualis et posset in spiritualem effectum, quod non est uerum. Solum ergo et proprie dicitur aliqua uirtus spiritualis ex subiecto in quo habet esse. Et de tali non esset inconueniens quod posset in spiritualem effectum, cum agere sequatur esse. Tertium etiam non ualet, quia quod aliqua non possint esse simul uel unum in alio, hoc facit sola oppositio uel repugnantia et non breuitas uel longitudo temporis fluxus uel permanentia. Vnde quecumque possunt esse simul in eodem instanti possunt etiam esse simul quantum est ex natura rei. Propter quod male dictum fuit quod uirtus spiritualis potest esse in rebus corporalibus per modum fluxus, non autem per modum permanentis habitus. Stat ergo prima ratio.	<i>deest</i> 8 120 125 130 135
<i>P,87va</i>	[A10] Secundo probatur idem sic. Nulla qualitas uel uirtus corporalis potest esse in spiritu. Non enim posset Deus facere angelum quantum uel album. Ergo similiter nulla uirtus spiritualis potest esse in corpore.	140
	[A11] Tertio sic. Qua ratione talis uirtus esset in uerbis, eadem ratione esset in aliis rebus sacramentalibus et in ministro,	

quia omnia hec sunt de necessitate sacramenti. Set hoc non potest esse, ut probatur, ergo etc. Probatio minoris. Primo quantum
 145 ad hoc quod non possit esse talis uirtus in ministro et in aliis rebus sacramentalibus, quia aut illa uirtus esset in eis unius rationis aut diuersarum rationum. Non unius, quia que non conueniunt in una potentia receptiua non conueniunt in una forma recepta; set res sacramentales, cum sint corporales, et minister quantum
 150 ad animam uel potentiam spiritualem ipsius anime non conueniunt in aliqua potentia receptiua, cum corpus et spiritus nullam communem receptiuam potentiam habeant; ergo non possunt conuenire in aliqua una forma recepta. Set uirtus, si qua sit in ministro respectu effectus sacramenti, siue sit character siue
 155 quodcumque aliud, est in essentia anime uel in aliqua eius potentia spirituali; ergo ipsa non potest esse unius rationis cum uirtute que est in aliis rebus sacramentalibus, que sunt corporales.

[A12] Item nec possunt iste due uirtutes esse diuersarum rationum, quia impossibile est quod plures uirtutes diuersarum
 160 rationum ordinentur immediate et in eodem genere cause ad eundem effectum, sicut ostensum fuit I lib. dist. 3; set uirtutes, si que sunt in rebus sacramentalibus et ministro, ordinantur ad eundem effectum; ergo non possunt esse diuersarum rationum.

[A13] Item non uidetur conueniens quod talis uirtus sit in
 165 rebus et uerbis per idem, quod statim dictum est, quia non eadem, cum non appareat in eis, eadem uirtus receptiua nec alia, cum ordinentur ad eundem effectum.

[A14] Item nec in ipsis uerbis uidetur esse talis uirtus, quia, cum oratio sit quantitas discreta, impossibile est unam uirtu-

	tem numero esse in tota oratione. Oportet igitur quod uel sint tot uirtutes quot sunt sillabe in oratione uel quod solum in ultima sillaba sit uirtus illa. Non potest dici quod in qualibet sillaba sit spiritualis uirtus, quia, cum sacramenta non habeant	<i>deest</i> 23
<i>V78ra</i>	efficaciam suam nisi in ultimo instanti quo uerba complentur, ante quod instans precedentes sillabe desierunt et per consequens uirtutes existentes in eis, sequitur quod ille uirtutes nichil faciunt ad effectum sacramenti, nec in inducendo ipsum, quia tunc non sunt, nec in disponendo, sicut dicitur de guttis precedentibus cauationem lapidum, que disponunt ad id quod ultima perficit, quia ante characterem uel ornatum quem sacramenta efficiunt nulla dispositio preedit in anima que fiat per sacramenta.	175
	[A15] Item nec talis uirtus est solum in ultima sillaba, quia per eandem rationem uirtus que est in aqua baptismi esset solum in ultima parte que tangit corpus baptizati, quod satis assimilatur fictioni.	180
	[A16] Item illa uirtus, si qua esset, ageret ex necessitate nature et non ex aliqua electione, cum non esset cogitativa; ergo equaliter ageret in omne illud quod esset natum effectum eius recipere. Set characterem, qui ponitur proprius effectus talis uirtutis, equaliter potest recipere anima dormientis sicut uigilantis, et uolentis sicut nolentis, quia solum uelle numquam disponit uel impedit actionem que est ex necessitate nature; ergo equaliter posset characterem ordinis recipere nolens sicut uolens, dormiens sicut uigilans, quod est inconueniens.	185
		190
		195

[A17] Quarto patet idem sic, quia nullum instrumentum agit in uirtute alterius circa aliquam materiam, nisi exercendo circa eandem suam actionem propriam (licet enim Deus possit facere lectum immediate, si tamen faciat mediante dolabra ut instru-
 200 mento, necesse est quod dolabra suam actionem exerceat circa materiam de qua fit lectus); set res sacramentalis, cum sit corporalis, suam propriam actionem non potest habere circa animam in qua recipitur effectus sacramenti, ut probat AVGVSTINVS in VI M u s i c e; ergo impossibile est quod res sacramentalis in uirtute
 205 alterius agat aliquid in anima nostra.

[A18] Ad hoc respondent ALIQVI quod res sacramentales agunt de se circa totum compositum, sicut aqua baptismi corpus animatum abluit et oleum ungit, et per consequens agunt in quamlibet partem, propter quod ut instrumentum Dei possunt agere in ani-
 210 mam, que est pars totius compositi. Set istud non ualet, quia id quod agit in totum compositum non potest agere in quamlibet partem, nisi quantum ad id in quo partes sibi inuicem communicant in composito, quia actio et passio communis requirit causam | communem; set anima ut est susceptiua gratie uel ca-
 215 racteris uel alterius dispositionis causate per sacramentum in nullo communicat cum corpore quantum ad aliquam conditionem pertinentem ad compositum; ergo res sacramentalis, que agit in totum compositum, non propter hoc agit in animam, ut est susceptiua gratie, uel alterius spiritualis effectus, et sic idem
 220 quod prius.

[A19] Secundum dubium, quod est contra hanc opinionem est illud, quod dicit quod uirtus sacramentalis instrumentaliter producit characterem uel alium ornatum, non autem gratiam

deest 8

P.87vb

	<p>propter eius perfectionem. Hoc enim non uidetur, quia, quando due forme sic se habent quod neutra preexistit in potentia materie uel subiecti uel sicut una preexistit, sic et reliqua, tales uidentur habere eundem modum productionis ita quod si una est solum per causationem, et reliqua; set gratia et character equaliter preexistunt uel non preexistunt in potentia materie uel subiecti; ergo si gratia est solum per causationem et character, non obstante quod gratia sit perfectior caractere, sicut etiam uidemus in formis naturalibus quod, quia omnes existunt in potentia materie preter animam rationalem, habent etiam unum generalem modum productionis, scilicet per generationem, quamuis una sit perfectior altera.</p>	<i>deest</i> 23 225
V78rb	<p>[A20] Secunda opinio est quod in sacramentis non est aliqua uirtus causatiua gratie, characteris uel cuiuscumque dispositionis seu ornatus existentis in anima, set sunt causa sine qua non confertur gratia, quia ex diuina pactione uel ordinatione sic fit quod recipiens sacramentum recipit et gratiam nisi ponat obicem, et recipit gratiam non a sacramento, set a Deo, qui solus pertingit ad characterem, gratiam uel quemcumque ornatum qui fit in anima. Hoc autem declaratur per simile, per auctoritatem et per rationes. <i>Simile est de illo qui recipit denarium plumbeum facta tali ordinatione ut qui recipit unum de illis recipit elemosinam regis,</i></p>	230
	<p>non quod denarius sit causa elemosine, set solum rex, denarius autem est signum et causa sine qua non. Sic est in proposito de sacramentis respectu gratie et characteris uel cuiuscumque alterius effectus spiritualis.</p>	235
		240
		245

250 [A21] Ad idem est opinio BERNARDI in S e r m o n e d e c e n a
D o m i n i , qui dicit sic: *Sicut canonicus inuestitur per librum, ab-*
bas per baculum, episcopus per anulum, sic diuerse gratie diuersis
sunt tradite sacramentis.

[A22] Ad hoc etiam est duplex ratio. Prima est quia secun-
255 dum OMNES circumcisio in ueteri lege conferebat gratiam; set hoc
fuit solum ex quadam pactione diuine ordinationis, sicut habetur
G e n . 17: *Hoc est pactum meum quod obseruabitis. Circumci-*
detur ex uobis omne masculinum. Et ibidem: Masculus cuius
preputii caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo
260 *suo, quia pactum meum irritum fecit.* Similiter uidetur quod in
aliis sacramentis non conferatur gratia nisi ex pactione diuina.

[A23] Secunda ratio talis est: sicut se habet lex uetus ad legem
nouam, sic sacramenta noue legis ad sacramenta ueteris legis; set
lex uetus sic se habet ad nouam quod illud quod promittebatur
265 a lege ueteri soluitur in noua, non per legem, set a Deo in lege;
ergo similiter est a Deo in sacramentis quod gratia in sacramen-
tis ueteris legis promissa uel figurata exhibetur in sacramentis
noue legis, non quidem per ipsa, set a Deo in ipsis.

[A24] Huic autem positioni duo uidentur obuiare. Primum
270 est quia *causa sine qua non, si nichil faciat ad inducendum effectum*

300 cramenta noue legis excedant sacramenta ueteris legis, sicut lex
 noua excedit ueterem solum in hoc quod illud quod promitte-
 batur figuratiue in ueteri lege exhibitur in noua, non a lege, set
 a Deo in lege, ut dictum fuit prius. Et in hoc est magna excel-
 lentia legis noue ad ueterem. Ergo similiter sufficit quod in hoc
 sacramenta noue legis excedant sacramenta ueteris legis, quod
 305 illud quod promittebatur figuratiue in sacramentis ueteris legis
 exhibeatur in sacramentis noue legis, non quidem per ipsa, set
 per Deum in ipsis.

[A27] Argumenta pro prima opinione non cogunt. Auctori-
 tates enim AVGVSTINI et BEDE et diffinitio MAGISTRI exponende
 sunt de causa sine qua non et non de causa proprie dicta. Ad pri-
 310 mam rationem, cum dicitur quod corpus agit in spiritum, ut est in-
 strumentum diuine iustitie punientis, dicendum quod non est
 uerum aliquid immittendo, set uel solum detinendo nec corpus
 detinet spiritum anime, set Deus detinet ipsum in corpore tali,
 scilicet in igne, si tamen per detentionem affligatur spiritus, quia
 315 uel sic affligitur uel aliquo alio modo, ut dicetur infra dist. 44.
 Nos autem loquimur de actione per immissionem, quam non
 potest habere corpus in spiritum propter ea que dicta sunt.

[A28] Ad aliud dicendum quod, si iustitia originalis erat per-
 320fectio aliquarum uirium corporalium, poterat per uirtutem semi-
 nis transfundi, et tunc non esset simile de iustitia originali et de
 caractere uel gratia, que ponuntur perfectiones anime uel uirium

spiritualium. Si uero iustitia originalis non erat perfectio corporis, set habitus mentis, non poterat transfundi, set transfuso corpore Deus illam infundisset, sicut nunc dicimus de caractere uel gratia quod suscepto sacramento Deus talia infundit. Quod autem ulterius additur quod omne instrumentum, dum mouetur a principali agente, recipit aliquam uirtutem ab eo, dicendum quod duplex est instrumentum: unum separatum, sicut est dolabra uel securis respectu artificis, et in talibus proprie recipitur nomen instrumenti et tale instrumentum non agit nisi motum per uirtutem receptam a principali agente, uocando uirtutem receptam motum localem in eo causatum et non aliquid aliud, quia per motum localem nulla forma fit in mobili, ut dicitur VIII *Phisicorum*. Ipse tamen motus localis potest dici uirtus, quia motus localis unius est ratio mouendi aliud, sicut motus baculi est causa motus localis lapidis uel aeris. Et quia forma pure artificialis, ut est forma domus uel scamni, potest acquiri per solum motum localem, ideo in talibus instrumentum agit localiter et per uirtutem receptam, que est ipsemet motus, nec est querenda alia ratione iam dicta. Aliud autem est instrumentum coniunctum, sicut calor naturalis dicitur esse instrumentum anime uegetatiue et omnis qualitas actiua naturalis dicitur instrumentum forme substantialis sui subiecti. Hoc tamen non est proprie, set magis deberet dici principium agendi proximum. Accipiendo tamen sic instrumentum tale non agit motum nec per uirtutem receptam a principali agente; calor enim in calefaciendo non mouetur ab anima aliquo motu nec recipit ab ea

deest 8

325

330

335

340

345

aliquam uirtutem formaliter ipsam perficientem. Tamen quia
 eadem ratione uirtus illa reciperet quandam aliam ad hoc ut at-
 350 tingeret ad eductionem forme substantialis, cum ipsa sit acci-
 dens, sicut et prima, nec agat ultra suam speciem nisi in uirtute
 alterius et sic esset processus in infinitum in uirtutibus receptis,
 | quod est inconueniens, dicitur ergo tale instrumentum agere
 in uirtute alterius, quatinus est sic ei coniunctum et actus eius
 355 ordinatur sub actione principalis agentis. Patet ergo quod sacra-
 menta, ex hoc quod sunt instrumenta separata, non recipiunt
 aliquam uirtutem preter motum localem, per quem non possunt
 producere aliquem effectum spirituales.

[A29] Ad primam rationem in oppositum patet solutio ex
 360 dictis.

[A30] Ad secundam dicendum quod in semine non est ali-
 qua uirtus nisi ad transfundendum naturam quoad naturalia. Et
 quia natura sic transfusa caret dono naturali quod habere debe-
 bat, non propter aliquam uirtutem seminis, set propter pecca-
 365 tum primorum parentum, ideo dicitur transfundi cum peccato
 originali, ut plenius dictum fuit in II libro.

deest 3

V78vb

<QUESTIO TERTIA

VTRVM NEGANDVM SIT ALIQVAM VIRTVTVM CREATAM
CAVSATIVAM GRATIE POSSE ESSE IN SACRAMENTIS>*deest* ¶

[B1] Tertio queritur utrum negandum sit aliquam uirtutem creatam causatiuam gratie posse esse in sacramentis propter hoc 5
quod potentia creandi non potest communicari creaturis. Et uidetur quod sic, quia illud debet negari tamquam impossibile ad quod sequitur impossibile, quia ex possibili non sequitur impossibile; set si ponatur quod uirtus creata causatiua gratie possit esse in sacramentis, sequitur impossibile, scilicet quod potentia 10
creandi posset communicari creaturis; ergo etc.

M154va

[B2] Maior | patet ex dictis. Minor etiam patet quantum ad alteram partem, hanc scilicet quod, si uirtus creatiua gratie posset | esse in sacramentis, potentia creandi posset communicari creaturis; set quantum ad alteram partem, scilicet quod impossibile sit 15
communicari creaturis potentiam creandi, probatur multipliciter.

P87bisrb

[B3] Primo sic: potentia infinita non potest communicari creature; set potentia creandi est infinita; ergo etc. Maior patet. Minor probatur, quia potentia que absoluit distantiam infinitam est infinita; set potentia creandi absoluit distantiam infinitam, que est inter ens et nichil; ergo est infinita. 20

[B4] Secundo sic: agens secundum in agendo supponit actionem prioris agentis, sicut ars presupponit materiam prepa-

deest ¶

25

ratam a natura; set omnis creatura est agens secundum respectu Dei; ergo supponit aliquid a Deo productum circa quod agit; tale autem non creat, cum creatio fiat nullo supposito; ergo etc.

30

[B5] Tertio sic: agens quod creat, cum producat totam rem, debet se toto agere; set nulla creatura potest se tota agere, cum non sit actus purus, et nichil agit nisi secundum quod ens actu; ergo etc. *E3rb*

35

[B6] In contrarium arguitur quia, quamuis producens possit excedere productum secundum se, tamen semper equantur in actione et passione seu in producere et produci, quia nec aliud nec plus producit agens quam sit in producto; set creatio passio non arguit aliquid infinitum in producto; ergo nec creatio actio arguit aliquid infinitum in productione; set propter aliud non negatur quin potentia creandi possit communicari creature; ergo etc. *K2rb*

40

[B7] Responsio. Questio ista propter hoc mota est, quia questio de facto quod dependet ex mera uoluntate Dei non potest determinari per certitudinem secundum se et directe, nisi haberetur de ea expressa auctoritas Sacre Scripture. Potest tamen indirecte determinari per certitudinem pro altera parte, scilicet pro negatiua. Set potest efficaciter probari quod illud factum non est possibile, quia constat quod non est factum illud quod non est possibile fieri. Modo sic est quod questio qua queritur utrum in sacramentis sit aliqua uirtus causatiua gratie est que-

45

M154vb

deest 21*Na63rb**L2rb**Z151ra*

stio de facto quod mere dependet | ex uoluntate diuina nec est
 | de hoc uel eius opposito expressa auctoritas Sacre Scripture.
 Et ideo non potest per certitudinem determinari in aliquam 50
 partem nisi indirecte, scilicet si potest probari quod talis uir-
 tus non potest creature communicari. Si autem hoc non possit
 probari, tunc in questione de facto, uidelicet an talis uirtus |
 sit in sacramentis, non potest per certitudinem procedi, set per
 probabiles coniecturas, ita ut illud potius debeat teneri de facto 55
 supposita possibilitate quod magis consonat dictis SANCTORVM
 et reuerentie sacramentorum. Procedetur ergo sic in questione
 ista, que est de possibilitate, quia primo ponentur rationes per
 quas probatur quod potentia creandi non potest creature com-
 municari, secundo ostendetur quod ille rationes non habent 60
 necessitatem, set sunt solubiles, tertio ostendetur quod respectu
 gratie et saltem characteris potest communicari creature potentia
 talia producendi.

[B8] Quantum ad primum primo ponentur rationes per
 quas probatur indistincte quod potentia creandi non potest 65
 communicari creature; secundo ponentur ille per quas idem
 probatur distincte et quasi per inductionem in uariis creaturis.
 Quantum ad primum sunt tres rationes, quarum prima talis est:
 agere sequitur esse; igitur cuius esse est receptum in alio, eius
 agere recipitur in alio tamquam in subiecto; set omnis creatura 70
 habet esse receptum; ergo et eius agere est in aliquo receptum;

deest ¶

tale autem agere non est creare, cum creatio non supponat subiectum; ergo etc.

75

[B9] Secundo sic et est confirmatio eiusdem: illud cuius actio non est substantia non potest creare, quia actio eius supponit subiectum; set actio creature non est substantia; ergo etc.

80

[B10] Tertio sic: si creatura posset creare, aut hoc posset ut principale agens aut ut instrumentum. Non ut principale agens, quia illud est Deus, nec ut instrumentum propter duo: primo, quia instrumentum non agit nisi ut motum et per motum, et tale supponit subiectum; secundo, quia instrumentum disponit ad effectum principalis agentis; set in creatione non potest precedere aliqua dispositio, cum creatio fiat nullo presupposito; ergo etc. *M155ra*

85

[B11] Rationes autem per quas idem distincte probatur et quasi per inductionem sunt iste. Prima talis est, quia angelus non possit creare, quia intelligere angeli est accidens; ergo angelus non potest creare. Antecedens probatur et consequentia. Antecedens sic: unum intelligere et finitum non potest esse respectu infinitorum intelligibilium; set si intelligere angeli esset idem cum substantia eius, esset unum et finitum; ergo non posset esse respectu infinitorum | intelligibilium. *P87bisva*

90

95

Set constat quod angelus quilibet potest simul uel successiue intelligere omnia intelligibilia et hec sunt infinita; ergo etc. Consequentia probatur, quia producens est nobilius producto maxime in agentibus equiuocis; set accidens non est nobilius substantia, immo ignobilius; | *E3va*

deest 21

ergo non potest esse ratio producendi substantiam, quare nec creandi.

K2va

[B12] Secundo probatur idem de substantiis compositis ex materia et forma sic: illud quod secundum totam rationem suam supponit aliud non est eius productiuum secundum aliquod eius indiuiduum. Set forma materialis secundum totam rationem suam supponit materiam. Ergo nullum indiuiduum forme | potest esse ratio producendi aliquid mere, quare nec creandi. Minor supponitur. Set maior probatur, quia sicut totum se habet ad totum, ita indiuiduum ad indiuiduum, quare si totum supponit totum nec est eius productiuum, oportet quod indiuiduum | supponat indiuiduum nec sit eius productiuum. 100 105

M155rb

[B14] Tertio probatur de celo quod ab aliquibus non dicitur esse compositum ex materia et forma quod non possint creare, sic omne corpus agens infra certam distantiam non potest agere in ultimum nisi prius tangendo ad alterandum medium, quia omnis actio est per contactum et nullum tale potest creare, quia | supponit subiectum et agit per mutationem et motum; set celum est huiusmodi; ergo etc. Et de hac ratione dicunt illi qui eam recitant, quod si potest ualere, ualeat, | tamen eis non uidetur quod ualeat, certe nec michi. 110 115

*L2va**Na63va*

[B15] Vltimo probant de gratia quod non potest produci aliqua uirtute creata. Primo, quia gratia est formalis ratio, quare anima est Deo gratia; set nichil tale potest esse nisi a Deo acceptante; ergo etc. 120

Item illud quod ordinat immediate in finem ultimum non potest esse immediate nisi a primo agente; set gratia est

deest ¶

125

huiusmodi; ergo etc. Hee sunt rationes quibus probatur quod potentia creandi non potest communicari creature. Et hoc fuit primum propositum.

130

[B16] Nunc restat ostendere secundum, scilicet quod iste rationes non sint sic necessarie quin sint solubiles, quod patet discurrendo per singulas. Cum enim primo dicitur quod potentia infinita non potest communicari creature, concedatur et tunc ad minorem per interemptionem. Et cum probatur per distantiam infinitam que est inter ens et nichil, dicendum quod hic est triplex defectus. Vnus est quia hec ratio fundatur super tali imaginatione, scilicet quod ens et nichil sint termini creationis: distantia enim et specialiter in quacumque actione attenditur inter terminos actionis. Illud autem, scilicet quod ens et nichil sint termini creationis, non est uerum. Quod patet sic: quia quod creatio dicatur esse de nichilo, potest intelligi tripliciter:

135

140

uno modo materialiter, scilicet quod nichil fit materia, de qua fit res creata; et hic sensus manifeste falsus est, cum materia insit rei facte tamquam pars eius, quod non | potest dici de hoc quod est nichil. Alio modo potest intelligi ordinabiliter, ut dicatur aliquid creari ex nichilo, idest post nichil ordine nature uel temporis. Et licet hunc sensum aliquantulum recipiant DOCTORES imaginantes quoquo modo ens et nichil esse terminos creationis, tamen secundum ueritatem iste sensus nullus est, quia impossibile est ponere terminos in actione que non habet | subiectum, nisi uterque terminus sit positius sicut in transubstantiatione.

M155va

145

Z151rb

deest ¶

Cuius ratio est quia uterque terminus attingitur actione agentis; alioquin non pertinerent ad actionem: unus enim abicitur et alius acquiritur. Quando autem uterque terminus est positivus, potest secundum se attingi ab agente; quando autem alter est negatius, non potest attingi secundum se, cum nichil sit. Set oportet quod attingatur ratione subiecti. Igitur cum creatio non habeat subiectum, non potest habere terminos ens et nichil, cum alter sit pure negatius. Restat ergo quod creatio dicatur esse ex nichilo negatiue, quia scilicet non est ex aliquo in ratione subiecti uel termini. Ex quo potest sic argui: actio que est talis condicionis quod non habet subiectum nec terminos, set solum effectum productum, nisi effectus secundum se arguat infinitatem uirtutis productiue, non potest argui ex aliquo quod sit in actione, quia nichil est ibi preter effectum productum; set creatio est huiusmodi, sicut declaratum est; igitur cum effectus productus per creationem non arguat secundum se infinitatem uirtutis productiue, uidetur quod ex nullo alio possit argui.

E3vb

[B17] Secundo deficit, quia dato quod ens et nichil essent termini creationis, tamen nullam habent inter se distantiam: sicut enim differentia et diuersitas non est nisi entium inter se (ens enim non est diuersum nec differens a non ente, quia idem et diuersum sunt differentie entis), sic et distantia non est nisi

M155vb

deest ¶

entium et non entis a non ente. Quod patet in speciali in distantia que est secundum locum: celum enim non distat a nichil ultra celum | distantia locali; et per eandem rationem non distant distantia formali illa quorum unum est ens et aliud nichil. *K2vb*

175 [B18] Tertio, quia dato quod distarent, ista distantia non esset infinita. Quod patet dupliciter: primo, quia illa distantia non est infinita qua est dare maiorem; | set est dare maiorem distantiam quam sit illa que est | entis a non ente quod ponitur terminus creationis, eo quod non ens quod implicat contradictionem multo plus distat ab ente, quia ex ipso nichil potest fieri; quare etc. *P87bisvb*
L2vb

180 [B19] Secundo, quia positio uel amotio subiecti non auget uel minuit distantiam terminorum: tantum enim distant ab inuicem albedo et nigredo, si essent separate, sicut si essent in subiectis; | set ens et nichil circa subiectum suppositum non distant in infinitum, quia forma et priuatio circa subiectum se habent ut ens et nichil, quorum distantiam absoluit agens naturale actione naturali; ergo excluso omni subiecto ens et nichil non distant in infinitum. *Na63vb*

190 [B20] Ad secundum dicendum est quod agens secundum in agendo supponit effectum prioris agentis, quia supponit se ipsum, qui est effectus illius: non enim potest agere, nisi prius habeat esse. Si autem intelligatur quod supponit aliquid productum a priori agente circa quod agat sicut circa subiectum,

deest 21*M156ra*

petitur principium. Et cum dicitur quod ars supponit aliquid 195
 productum per naturam, uerum est; set istud est ex ordine pro-
 ductorum, quia forma producta per artem, cum sit accidentalis,
 supponit subiectum ens actu, non autem ex ordine producen-
 tium, scilicet artis et nature, quia Deus producit quicquid pro-
 ducit per artem | et tamen non supponit aliquid productum per 200
 naturam. Et iterum ratio dicit illud quod est, et non illud quod
 potest esse uirtute diuina, de qua nunc querimus.

[B21] Ad tertium dicendum quod non oportet quod illud
 quod producit totam rem agat se toto; set sufficit quod illud
 quo agit contineat uirtualiter omne illud quod producit. Con- 205
 cedendo etiam maiorem potest dici ad minorem quod aliqua
 creatura potest agere se tota sicut angelus, quia, cum non habe-
 at materiam, ut supponitur nunc, quicquid est in eo est actus
 substantialis uel accidentalis, et ratione utriusque potest agere
 mediate uel immediate. Nec propter hoc oportet quod sit actus 210
 purus accipiendo 'purum' pro primo et perfectissimo, set sufficit
 quod non sit actus permixtus potentie pure, que est materia.

[B22] Ad quartum argumentum, quod est primum in pro-
 cessu questionis, dicendum quod agere supponit esse, nec ex hoc 215
 plus sequitur nisi quod oportet creaturam prius esse quam pos-
 sit agere. Quod autem oporteat agere recipi in subiecto, si esse
 agentis sit susceptum, nulla ratio est, quia per idem oporteret
 quod actio Dei non reciperetur in aliquo, cum esse eius non sit
 receptum. Non oportet ergo quod agere sequatur esse quantum 220
 ad omnes eius condiciones; alioquin, cum esse agentis non trans-
 eat in materiam exteriorem, nullum agere transiret in materiam
 exteriorem, quod non est uerum.

deest ¶

225

[B23] Ad quintum dicendum quod actio que est sine motu est idem cum termino producto, nisi quod includit respectum ad producens. Et ideo non est necesse quod requirant subiectum preter productum, nisi natura producti hoc habeat. Propter quod, cum agere sine motu possit communicari creature, non oportet quod omnis actio eius | supponat subiectum quantum est ex natura actionis, ex qua sola procedit argumentum.

E4ra

230

[B24] Ad sextum dicendum quod, si agens instrumentale uocetur omne illud quod supponit aliquod aliud | agens, sic omnis creatura in actu suo quantumcumque naturali est agens instrumentale, quia supponit primam causam, cui | innititur in esse et per consequens in agere. Et tale instrumentum non oportet quod agat ut motum uel per motum, quia nec angelus mouetur quocumque motu ad hoc ut agat, nec celum necesse esset moueri, ut QUIDAM dicunt, ad hoc, ut ageret. Rursus agens naturale non oportet quod disponat ad effectum ulterioris agentis; alioquin omnem actionem naturalem sequeretur effectus ulterior, | qui esset a primo agente, quod non est uerum. Si uero agens instrumentale uocaretur solum illud quod de se non exiret in actum nisi speciali motione facta circa ipsum, sicut est de securi, | sic uerum est quod assumitur, et tale agens non posset causare huiusmodi actionem. Non oportet autem quod omnis creatura sit instrumentum Dei hoc modo, quia nec est etiam in actionibus naturalibus, ut dictum est.

*M156rb**Z151va*

235

240

K3ra

245

L3ra

250

[B25] Ad rationes ILLORVM qui probant idem distincte et quasi per inductionem, respondendum est. Et primo ad illud quod dicunt de angelo, quod non potest creare, quia intelligere eius est accidens. Illius enim consequentie nec antecedens probatur sufficienter nec consequentia: | antecedens non, quia

Na64ra

deest ¶
P88ra

constat quod beatorum | intellectio est unus actus et finitus, et
tamen, sicut potest in obiectum infinitum, scilicet in essentiam
diuinam, ita posset in infinita multitudine, si representarentur
per eum, quia talia, si essent, non equarentur infinitati essentie 255
diuine. Nec consequentia ualet, quia dato quod intelligere an-
geli esset accidens, adhuc per ipsum angelus posset producere
totam rei substantiam altero illorum modorum quibus ponitur
quod ignis per calorem generat non solum calorem | set ignem,
aut quia calor agit in uirtute forme substantialis, aut quia ignis 260
agit per utrumque, scilicet per calorem et per suam formam
substantialem, quamuis per calorem primo et immediatius, per
formam substantialem secundario et mediate, aut quia ex for-
ma substantiali et accidentali efficitur unum perfectum agens
ad productionem substantie, sicut durities et acuties in secu- 265
ri supplent uicem unius agentis; et quolibet horum modorum
posset dici quod angelus per suum intelligere, quantumcumque
sit accidens, potest producere substantiam.

M156va

[B26] Ad aliud per quod probatur quod una substantia mate-
rialis non potest aliam totam producere, dicendum quod maior 270
est dubia. Non enim bene patet quod forma secundum totam
rationem suam supponat materiam. Quamuis enim secundum
ordinem nature materia sit prius materia quam informetur, et
forma sit prius forma quam informet, tamen quod materia se-
cundum se sit prior forma secundum se uel econuerso, nulla 275
necessitas est nisi ratione modi quo forma materialis producitur

deest ¶

280 opere nature, scilicet per generationem, quia generans supponit
 subiectum, scilicet materiam, et producit terminum, scilicet for-
 mam. Si autem tota substantia materialis produceretur a Deo,
 sicut a principio factum fuit, non est assignare quare materia
 285 precedat formam uel forma materiam secundum se, quamuis
 informare et informari supponat utrumque. Item dato quod
 forma secundum communem rationem suam supponeret mate-
 riam, non oporteret tamen quod aliquid ipsius forme non pos-
 set esse productiuum alicuius materie, quia calor secundum to-
 tam rationem suam supponit quantitatem et tamen aliquis calor
 est ratio producendi aliquam quantitatem, saltem mediate, sicut
 patet, cum uirtute caloris | fit rarefactio in aliquo; tunc enim fit
 noua quantitas, saltem secundum ILLOS qui dicunt quod eadem
 290 quantitas non potest esse maior et minor, | sicut nec eadem qua-
 litas intensior et remissior.

*M156vb**E4rb*

[B27] Ad illud quod dicunt de celo respondeo, sicut et IPSI
 qui dicunt quod ratio non ualet, quod uerum est, quia solum
 arguunt ex cursu quem uident secundum ordinem institutum,
 295 non autem secundum illud quod Deus potest facere de potentia
 absoluta.

[B28] Ad illud per quod probatur quod gratia non potest ab
 alio produci quam a Deo, potest responderi. Ad primum, cum
 dicitur quod gratia est illud quo aliquis est formaliter et primo
 300 Deo acceptus, dicendum quod per gratiam habitualement non est
 aliquis primo Deo acceptus, quia secundum communem doctri-
 nam, sicut dilectio nostra causatur a bono preexistente in re, sic

deest ¶

dilectio Dei ad nos causa est cuiuslibet boni existentis in nobis, et sic prius sumus a Deo dilecti et ei grati quam sit in nobis gratia habitualis, que datur nobis ut sit principium merendi, quam Deus potest nobis dare per se ipsum immediate uel per alterum, si uult saltem. Oppositum non probatur. 305

K3rb

[B29] Ad aliud, cum dicitur quod gratia unit nos ultimo | fini, dicendum quod non unit nos ultimo fini nisi sicut ratio merendi, actus autem diligendi a potentia elicited siue cum gratia siue sine gratia immediatius unit nos Deo tamquam obiecto, 310

L3rb

et tamen non | oportet quod ille actus immediate sit a Deo, quare nec gratia. Et sic patet quod iste rationes non sunt necessarie adeo quin sint solubiles. Et hunc modum tenet FRATER THOMAS IV lib. dist. 5, ubi tractat hanc eandem questionem, in qua, quamuis declinet ad partem negatiuam, scilicet quod potentia | creandi non possit communicari creature, modo | quo postea exponetur, tamen dicit rationes solubiles et eas soluit. Et sic patet secundum. 315

*M157ra**Na64rb*

[B30] Quantum ad tertium dicendum est quod, cum creatio sit productio alicuius nullo presupposito, istud potest intelligi | uel ex parte agentis uel ex parte producti. Si ex parte agentis, sic creare non potest communicari creature, quia omnis creatura necessario innititur primo agenti, scilicet Deo, quantum ad esse et per consequens quantum ad agere. Si ex parte facti, distin- 320 325

Z151vb

deest ¶

330

335

340

345

350

guendum est, quia uel queritur de productione seu creatione rei
 subsistentis, | et sic tenetur idem quod prius, quamuis rationes
 hoc probantes sint solubiles, ut dictum est, uel queritur de pro-
 ductione forme inherens et que secundum se non est nata sub-
 sistere, sicut est gratia uel character, et de tali non uidetur quin sit
 possibile quod potentia producendi talem formam, quocumque
 nomine talis productio uocetur, possit communicari creature,
 quia in productione talis forme non habet locum carentia sub-
 iecti, cum subiectum supponatur, nec distantia terminorum,
 cum tantum distent lumen et priuatio luminis sicut gratia et
 priuatio gratie, nec modus producendi, cum sit uera mutatio,
 que competit creaturis, nec dignitas seu nobilitas forme obsi-
 stit, quia uidemus quod uirtus instrumentalis producit aliquid
 nobilius se, ut patet de uirtute que est in semine hominis, que
 attingit ad animam sensitiuam, et uirtus celi, que non est uiuens,
 est ratio productiua anime uiuentis in his que fiunt per putre-
 factionem, quia est quasi quedam uirtus seminalis indita celo a
 Deo respectu omnium formarum generabilium et corruptibili-
 lium. Et similiter non est impossibile quin aliqua uirtus possit
 a Deo | dari sacramentis que poterit attingere ad characterem uel
 ad gratiam instrumentaliter, sicut uirtus seminis uel uirtus celi
 attingunt ad formas perfectiores se. Et de caractere quidem dicit
 hoc FRATER THOMAS in IV lib., de gratia uero dicit idem parte
 ultima quest. 62, ubi querit utrum uirtus que est in sacramentis
 sit causatiua gratie. Patet ergo quod non est impossibile quin

*P88rb**M157rb*

deest 35*E4va*

Deus communicet creaturis uel sacramentis, nisi aliud obsistat, uirtutem producendi characterem uel gratiam. Propter quod in questione de facto, scilicet an talis uirtus sit in sacramentis, probabilius tenetur id quod magis consonat dictis SANCTORVM et reuerentie sacramentorum, et constat quod illud est | quod in sacramentis sit talis uirtus. De hoc enim sunt multe auctoritates AVGVSTINI et BEDE, etiam canonizate. De opposito autem non est nisi auctoritas BERNARDI in Ser mone de cena dom i ni, que tamen non est contra hanc opinionem, quia, licet ponat pactionem seu ordinationem, quam ista opinio non negat, tamen non negat uirtutem existentem in sacramentis, quam ista opinio ponit. Patet etiam quod hec opinio plus defert reuerentie sacramentorum quam alia. 360

<QUESTIO QVARTA

VTRVM SACRAMENTA VETERIS LEGIS CONFERANT GRATIAM>

[A1-B1] Quarto queritur utrum sacramenta ueteris legis conferant gratiam. Videtur quod sic, quia *sanctificatio non fit nisi per gratiam; set per sacramenta ueteris legis homines sanctificabantur (dicitur enim L e u. 5*

8: *Cumque sanctificasset eos, Moyses scilicet Aaron et filios eius, in uestitu suo etc.; ergo uidetur quod sacramenta illa conferrent gratiam.*

[A2-B2] Item quanto sacramenta sunt propinquiora tempori gratie, tanto uidentur esse efficaciora et perfectiora; set sacramenta ueteris
 10 legis fuerunt propinquiora tempori gratie | quam sacramentum circum- *M157va*
 cisionis, quod fuit | ante legem institutum; ergo sunt perfectiora *K3va*
 quam circumcisio; set circumcisio conferebat gratiam, ut OMNES dicunt et habetur in littera; ergo fortiori ratione alia.

[A3-B3] In contrarium est quod dicitur *H e b r. 10: Impossibile est*
 15 *sanguine | hircorum aut taurorum auferri peccata.* *L3va*

[A4-B4] Item *R o m. 3* dicitur quod *ex operibus legis non iustificatur omnis caro*, ubi dicit Glossa: *Illa uocat opera legis que cum lege instituta sunt et terminata*, que numquam iustificare potuerunt.

[A5-B5] Responsio. In sacramentis ueteris legis et quibuscumque a-
 20 *liis est duo considerare, scilicet ipsum sacramentum*, quod | uocatur com- *Na64va*
 muniter *opus operatum*, et *usum sacramenti* tam ex parte conferentis quam ex parte suscipientis, qui uocatur *opus operans*. Si loquamur de

sacramento quantum ad eius usum, qui dicitur opus operans, sic tenetur communiter quod talis usus *fuerit* meritorius, supposito quod utens esset in caritate et gratia. Cuius ratio est quia omnis actus uirtuosus caritate informatus est meritorius; set actus conferentis uel suscipientis sacramenta ueteris legis fuit actus uirtuosus, quia actus patrie, que est pars iustitie; ergo supposito quod conferens uel suscipiens esset in gratia uel caritate, sequitur quod talis usus erat meritorius, quamuis
 MAGISTER uideatur sentire contrarium in littera dicens quod *numquam ex operibus legis aliquis iustificatus est, etiam si in fide et caritate fierent, quia imposuit ea Deus in seruitutem, non in iustificationem.* Hoc enim non est sufficienter dictum, quia seruire uoluntarie illi qui seruitutem potest imponere meritorium est, cum sit | actus iustitie.

B26rb

[A6-B6] Si autem loquamur de sacramento secundum se, quod dicitur opus operatum, sic questio potest intelligi dupliciter: uno modo utrum | sacramenta ueteris legis uirtute propria conferant gratiam; secundo modo utrum in uirtute alterius. Si primo modo, dicendum est quod non, non solum de sacramentis ueteris legis, set etiam noue, quia principalis causa gratie et iustificationis est Christus in quantum Deus per auctoritatem, et in quantum homo per meritum passionis. Et si quid aliud instrumentaliter iustificat, non est hoc in uirtute propria, set in uirtute Christi. Si autem secundo modo, | adhuc potest intelligi dupli-

M157vb

Z152ra

citer: uno modo *enim* potest aliquid agere in uirtute alterius, quia agit
 45 per uirtutem in se receptam ab altero; secundum quem modum *ALLI-
 QUI* ponunt sacramenta noue legis *agere in animam*, ut dictum fuit
 prius. Et isto modo sacramenta ueteris legis non *causant gratiam* per ali-
 quam uirtutem in se receptam. | Cuius ratio est quia nullus recipit gratiam *V79ra*
 nisi per aliquam unionem ad Christum, qui est principalis causa gratie;
 50 *unitur* autem Christo per fidem et sacramenta, set differenter, quia unio
que est per fidem est per interiorem actum, set unio *que est per sacramenta*
 est *per* *usum exteriorem rerum*. Modo sic est quod rei nondum existen-
 ti potest aliquis uniri per actum interiorem anime credendo uel aman-
 do, non autem per usum exteriorem rerum: hec enim non possunt
 55 applicari nisi rei existenti. Ex quo potest sic argui. Nulla uirtus pot-
 est | esse in sacramentis nisi per aliquam unionem eorum ad Christum; *E4vb*
 set ante Christum corporaliter exhibitum non potuit esse aliqua unio
 sacramentorum ad ipsum; ergo ante Christum corporaliter exhibitum
 non potuit esse aliqua uirtus in sacramentis ab ipso, in quantum Deus
 60 et homo. | *P89vb*

Maior est declarata. Minor etiam patet, quia unio per sacramentum est secundum usum rerum exteriorum, que non potest esse nisi cum re actu existente. Poterant ergo saluari | ex unione ad Christum per fidem, set non ex uirtute existente in sacramentis. Hoc autem manifestius fiet, si consideretur quod omne sacramentum noue legis secundum aliquid fuit realiter applicatum ad Christum, ut aqua baptismi, quando baptizatus fuit, panis et uinum, quando consecrauit, chrisma quod conficere docuit, et oleum sanctum, quod de mandato Christi deferebant Apostoli, et sic de aliis. Alio modo possunt dici sacramenta agere in uirtute alterius, quia in eis datur gratia, non quidem per uirtutem aliquam | existentem in ipsis, set a Deo immediate per ordinationem et pactio- nem diuinam.

[A7-B7] Et secundum hoc est duplex opinio: una HVGONIS DE SAN- CTO VICTORE, quod sacramenta ueteris legis quantum | ad opus operatum conferebant gratiam, *non tamen ita immediate et per se sicut sacramenta nostra, set mediate et per accidens, in quantum signa erant Christi. Vnde eorum susceptio erat quedam Christi professio et ueneratio. Erat ergo hoc potius per modum signi excitantis intellectum ad contuitionem ueri sacrificii quam per modum cause.* Hoc autem apparet ex multis dictis

80 ipsius HVGONIS, precipue lib. I D e s a c r a m e n t i s parte 11, ubi dicit
 sic: *Sacramentorum alia fuerunt ante legem, alia sub lege, alia sub gratia,*
specie quidem differentia, set eundem effectum sanctificationis habentia.
 Item in eodem: *Ex quo homo egrotare cepit, Deus homini | in sacramen-* Na64vb
tis medicinam preparauit. Item: *Quicumque sacramenta priora effectum*
 85 *sanctificationis habuisse negauerit, non michi recte sentire uidetur.*

[A8-B8] Alia est, que communius tenetur, quod sacramenta ueteris
 legis non conferebant gratiam ex opere operato, quia instituta fuerunt
 magis ob significationem quam | ob sanctificationem. M158rb

[A9-B9] Posset *et* tertia uia inueniri media inter has duas, scilicet
 90 quod eorum que in ueteri lege sacramenta dicebantur quedam di-
 cuntur sacramenta large, ut illa que a populo mediantibus ministris
 offerebantur Deo, puta primitie, decime, sacrificia, idest animalia ad
 sacrificandum, et cetere oblationes; alia dicebantur magis proprie sa-
 95 cramenta, que ministrabantur populo per sacerdotes et leuitas et mi-
 nistros legis, sicut per aquam lustrationis purificabantur leuite et alii,

ut habetur Num. 8, et sacerdotes in sua consecratione tingebantur sanguine arietis in extremo *auricule et pollice manus dextre ac pedis*, ut dicitur Leu. 8 et sic in pluribus aliis. Loquendo ergo de sacramentis large sumptis, dicendum est quod in eis non conferebatur gratia ex opere operato. Cuius ratio est quia in sacramentis non confertur gratia nisi suscipienti sacramentum, licet conferenti usus possit esse meritorius; set sacramenta primo modo dicta non suscipiebantur ab aliquo proprie per modum sacramenti, set erant oblationes Deo facte a populo per manus ministrorum legis; ergo per talia sacramenta nulli conferebatur gratia. 100 105

V79rb [A10-B10] Si autem | loquamur de sacramentis strictius sumptis, sic in quibusdam conferebatur gratia, in quibusdam non, quia, cum sacramenta efficaciam habeant ex institutione diuina, illa sacramenta ueteris legis que a Deo instituta sunt ad effectum qui non potest haberi sine gratia aut ad officium quod non potest bene exerceri sine gratia, 110 conferebant gratiam ex pactione et ordinatione diuina: *non enim defficit Deus in necessariis*; et talia uidentur fuisse circumcisio, que ordinabatur ad deletionem peccati originalis, que non potest fieri | sine gratia, | et *M158va* *E5ra* unctio sacerdotalis, que ordinabatur ad administrationem sacramentorum, que non poterat bene fieri sine gratia, ut infra patebit. Alia autem 115

sacramenta, que ordinata sunt ad effectum propter quem non requirebatur gratia, non conferebant gratiam, sicut fuit in emundatione leprosi, qui aspergebatur cum ligno cedrino et ysopo intincto * sanguine passeris immolati, cum ceteris, que tanguntur L e u . 9 et in similibus, quia hec, etsi significarunt aliquid sacrum in lege noua futurum, tamen pro tunc non exhibebantur nisi propter corporalem effectum, scilicet ad tollendum *aliquam* irregularitatem legis per quam arcebantur ab ingressu castrorum uel templi.

[A11-B11] Ad rationes patet responsio. Ad primam: concessum est enim | quod unctio sacerdotalis | conferebat gratiam, de qua procedit illa obiectio.

*P90ra**Z152rb*

[A12-B12] Ad secundam dicendum quod sacramenta propinquiora noue legi fuerunt perfectiora ceteris paribus ut fiat comparatio eorum inter se que in lege et ante legem instituta fuerunt solum ad significandum, et aliorum inter se, que instituta fuerunt ad sanctificandum. Et ideo si sub lege fuisset aliquod sacramentum | institutum contra originale peccatum, fuisset perfectius et efficacius quam circumcisio, et forte dici posset quod unctio sacerdotalis fuit perfectior.

K4ra

[A13-B13] Argumenta in oppositum probant quod sacramenta largesumpta non conferebant gratiam, quod concessum est.

<QUESTIO QVINTA

VTRVM CIRCVMCISIO FVERIT CONVENIENTER INSTITVTA>

- [A1-B1] Deinde queritur de remedio paruulorum et primo de circumcissione, secundo de remedio quod fuit ante | circumcissionem. De circumcissione primo queritur utrum fuerit conuenienter instituta. Videtur quod non, quia *peccato originali non debetur pena | sensibilis*, set solum pena dampni; set in circumcissione fuit magna pena sensibilis; ergo circumcissio non fuit conueniens remedium peccati originalis. 5
- B26va* *Na65ra* [A2-B2] Item medicina debet | proportionari morbo; set peccatum originale fuit communis morbus omni populo et omni sexui; ergo eius medicina debuit omnibus esse communis, quod non fuit circumcissio, que data est soli populo *Israelitico* et tantum uiris, non mulieribus. 10
- M158vb* [A3-B3] In contrarium est quia fuit instituta a Deo, a quo nichil fit nisi conuenientissime.
- [A4-B4] Responsio. Circa circumcissionem est tria considerare: tempus quando Deus eam instituit, populum cui data fuit, et ritum qui seruari debuit. Et quantum ad hec tria fuit circumcissio conuenienter instituta. Quod patet quantum ad primum: data enim fuit ante legem scriptam et conuenienter, quia lex scripta non fuit danda nisi populo 15

20 fidei; fides enim est fundamentum diuine legis. Ex hoc sic arguitur:
 populus fidelis recepturus legem debuit distingui prius ab infidelibus
 aliquo signo fidei; set ad hoc data fuit circumcisio; ergo ipsa dari debuit
 ante legem. Et quia Abraham primus segregauit se et familiam suam
 a societate infidelium, ideo merito sibi et semini suo data fuit primo
 25 circumcisio. Et hoc est quod dicitur Ro m. 4 quod *signum accepit
 circumcisionis signaculum iustitie fidei.*

[A5-B5] Secundum patet, scilicet quod solum debuit dari populo
 Israelitico et solum uiris, non mulieribus. De populo patet ex iam
 dictis, quia illi populo dari debuit | circumcisio qui debuit ab aliis di-
 30 stinguui ob susceptionem legis; set ille populus fuit solus populus filio-
 rum Israel; licet in aliquibus aliis esset fides, ut in Iob et forte pluribus
 aliis, in nullo tamen populo uno fuit fides nisi in illo; *ergo* illi soli
 populo debuit dari circumcisio. | Vnde si Abrahe *fuit data* circumci-
 sio et semini eius, Ge n. 17, tamen per diuinam electionem separatus
 35 est Ismahel a semine, Ge n. 21: *In Isaac uocabitur tibi semen*, non
 in Ismahel. Item Esau separatus est a Iacob, sicut scribitur Ma l. 1:

V79^{ua}M159^{ra}

E5rb *Iacob dilexi, Esau odio | habui*, quod recitat APOSTOLVS Ro m. 9. In filiis autem Iacob non est facta aliqua segregatio et ideo omnibus illis et solis circumcisio competebat. Successores autem Ismahel et Esau ad circumcisionem tenebantur quamdiu fuerunt de familia Abraham et Isaac, non autem post recessum ab eis. 40

[A6-B6] Quod autem solis masculis dari debuit, patet, quia circumcisio instituta fuit contra originale peccatum, non solum ad effectum remissionis, set in signum traductionis; set causa traductionis originalis peccati est solus masculus (si enim Adam peccasset et non Eua, nichilominus peccatum originale traductum fuisset; si uero Eua peccasset et non Adam, non fuisset propter hoc traductum, ut uisum fuit in II lib.); ergo solum masculis debuit dari circumcisio. Et sic patet secundum. 45

[A7-B7] Quantum ad tertium notandum est quod circa ritum circumcisionis quedam fuerunt de necessitate sacramenti, aliqua de necessitate precepti, alia uero solum de solemnitate. De necessitate sacramenti fuerunt determinatio membri et modus circumcidendi, scilicet secundum figuram circularem; de necessitate precepti *fuit* quod circumcisio paruulorum non differretur ultra octauum diem; de solemnitate uero *fuit* | quod cum cultro lapideo fieret. Ratio primi est ista quia illa sunt de necessitate sacramenti que directe significant interiorum effectum sacramenti, quia sacramenta illud efficiunt quod figu- 50 55

P90rb

rant; set interior effectus circumcisionis fuit purgatio originalis peccati,
 60 cuius scilicet signum | fuit determinatio membri et modus circumci- *K4rb*
 dendii; ergo ista fuerunt | de necessitate circumcisionis. Maior patet. *Ma159rb*
 Minor probatur, quia originale peccatum est uitium traductum per
 generationem et circulariter, eo quod persona primo infecit naturam
 | et deinde natura personam; signum autem manifestum huius infec- *Na65rb*
 65 tionis est ablatio circularis preputii a membro generationis; | quare etc. *L4rb*
 [A8-B8] Secundum patet, scilicet quod dies octauus *esset solum*
 de necessitate precepti, non autem de necessitate sacramenti. De die
 enim octauo datum est preceptum *Gen.* 17 quod extendebatur so-
 lum ad paruulos. | Proselitis enim et aduenis accedentibus ad fidem et *Z152va*
 70 ritum iudeorum, sicut Achior, de quo habetur *Iud.* 14, non erat de-
 terminatus dies ad circumcidendum, et Abraham ipso die circumcisis
 est quo accepit preceptum, ut habetur *Gen.* 17. Ex quo patet quod
 determinatio diei non fuit de necessitate sacramenti, quia quod est de
 necessitate sacramenti respicit equaliter omnes; set determinatio diei

non respiciebat equaliter omnes; ergo etc. Et quia circa sacramenta 75
omissio illorum que sunt de necessitate solum precepti non euacuat
sacramentum, licet scienter illud omittens peccet, ideo circumcisio
facta post octauum diem ualebat, set differens peccabat, scilicet pater
et illi quibus incumbebat circumcidere puerum. *Excusantur* tamen
V79vb a peccato illi qui non circumciderunt | filios suos in deserto *propter* 80
necessitatem que tangitur Ios. 5, scilicet quia nesciebant quando castra
mouenda erant, que indicio columne nubis mouebantur. De illis autem
qui ex sola negligentia uel contemptu pretermittebant dicit AVGVSTINVS
quod inobedientiam incurrebant.

[A9-B9] De preueniendo autem diem octauum uidetur MAGISTER 85
sentire in littera quod licitum erat imminente mortis articulo. ALII uero
M159va dicunt | contrarium, quod etiam sentit HVGO DE SANCTO VICTORE, et
probat per ritum quem adhuc obseruant iudei, qui ante octauum
diem nullum paruulum circumcidunt, et per Glossam, que habetur
Prou. 4 super illud quod dicit Salomon de se ipso: *Vnigenitus eram* 90

*coram matre mea, que dicit quod alius filius | Bersabee non *computabatur*, quia ante octauum diem *fuit mortuus*; et ideo non fuit nominatus, quia nec circumcisis, eo quod in circumcissione imponebatur nomen, ut apparet L c. 1 de Ioanne et * 2 de Christo. Idem patet per simile, quia*
 95 *nullum animal offerebatur Domino ante octauum diem, ut habetur Ex o d. 22: saluabantur autem in fide parentum, sicut pueri ante datam circumcissionem et post datam circumcissionem mulieres, quibus non erat datum circumcissionis remedium.*

[A10-B10] Tertium apparet, scilicet quod cutellus lapideus solum erat
 100 *de solemnitate sacramenti, quia ea que sunt de necessitate sacramenti uel precepti in ipsa institutione sacramenti traduntur (obligant enim semper quotienscumque imminet ministrare sacramentum); set in institutione circumcissionis, G e n . 17, nulla facta fuit mentio de cutello lapideo; ergo non fuit de necessitate sacramenti uel precepti. Vnde nec iudei modo*
 105 *tello lapideo circumcidunt. Fuit tamen de solemnitate ad significandum quod per petram, Christum, omnis superfluitas auferretur ab electis. Et ideo in principalibus circumcissionibus adhibitus fuit cutellus lapideus, ut*

patet I o s. 5 et de Sephora E x o d. 4, licet illa forte adhibuerit petram ad circumcisionem filii magis ex necessitate quam pro solemnitate.

[A11-B11] Ad primum argumentum dicendum quod pena sensibilis que est in circumcisione est ex natura actus, et non pro satisfactione culpe, sicut | et in baptismo est pena sensibilis, cum aqua est nimis frigida. 110

[A12-B12] Ad secundum patet responsio per ea que dicta sunt in 2 articulo questionis, quia circumcisio non fuit generale remedium contra peccatum originale, set ut significans causam traductionis eius, que est in solis masculis; ideo etc. 115

<QUESTIO SEXTA

VTRVM CIRCVMCISIO AVFERRET CVLPAM ORIGINALEM ET CONFERRET GRATIAM>

K4va [A1-B1] Secundo queritur utrum circumcisio auferret culpam | originalem et conferret gratiam. Et uidetur quod non conferret gratiam, 5
Na65va quia sacramenta illud solum efficiunt quod figurant; set circumcisio solum figurabat ablationem, non collationem (fiebat enim sola ablatione preputii); ergo solum auferebat culpam et non conferebat gratiam.

[A2-B2] Item poterat contingere quod circumcidendus haberet peccatum actuale mortale; set gratia non stat cum peccato actuali mor- 10

tali; ergo si circumcisio in adulto conferebat gratiam, sequitur quod circumcisio auferebat peccatum mortale actuale, quod nusquam legitur.

[A3-B3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS et habetur | in littera et legitur *De consecr.* dist. 4 c. *Ex quo instituta est circumcisio*, ubi dicitur sic: *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, que erat tunc signaculum iustitie fidei, ad purgationem ualebat magnis et paruis originalis ueterisque peccati, sicut baptismus ex illo ualere incepit ad innouationem mentis, ex quo institutus est*; set baptismus nunc aufert culpam et confert gratiam; ergo et circumcisio tunc. L4va

20 [A4-B4] Idem expressius dicit BEDA in *Homilia super Lucam* 2 super illo uerbo *Postquam consummati sunt dies octo*, et habetur in littera.

[A5-B5] Responsio. Videnda sunt duo: primum est an circumcisio | auferret culpam; secundum utrum conferat gratiam. Z152vb

25 [A6-B6] Quantum ad primum sciendum est quod hoc, scilicet quod circumcisio auferret culpam, non possumus conuincere nisi uel ex eius | significatione uel ex institutione. | Ex primo non, quia multa fuerunt legalia que expressius uel eque expresse figurabant mundationem a culpa sicut circumcisio, utpote lotio in aquis uiuentibus, de qua V80ra
M160ra

habetur L e u . 15, et expiatio per aquam lustrationis, de qua habetur 30
 N u m . 8 et 19 cap., et tamen hec non auferebant culpam. Restat ergo
 quod hoc conuincatur ex eius institutione. Institutionem autem eius
 E5vb ad hoc, scilicet ad auferendam culpam originalem, probare non | pos-
 B26vb sumus, nisi ex dictis Scripture. | Et isto modo BEDA probare conatur,
 ubi supra, dicens sic: *Qui nunc per Euangelium terribiliter et salubriter 35*
clamat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest in-
trare in regnum Dei, ipse dudum clamabat per legem suam: Anima cuius
preputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, quia pactum
meum irritum fecit. Ex quo uidetur quod similis sit comminatio non
 baptizatis sicut non circumcisis, quod fit propter similem causam, ut 40
 sicut non baptizati prohibentur ab ingressu regni celorum propter cul-
 pam originalem, quam aufert baptismus, sic et incircumcisi propter
 eandem culpam, quam auferebat circumcisio.

[A7-B7] Set contra hoc posset argui sic, quia similis comminatio fit
 in lege de obseruatione sabbati, L e u . 23: *Anima que quippiam operis 45*
fecerit delebo eam de populo suo, et E x o d . 12 de esu fermentati; et

tamen ista non erant sacramenta auferentia culpam, set solum erant quedam precepta; ex illo ergo uerbo dicto de circumcissione non potest concludi quod sit sacramentum necessitatis *pro ablatione* culpe, set
 50 solum quod sit preceptum necessarium ad obseruandum. Et dicendum est ad hoc quod *immo*, bene concludit prima ratio, | quia preceptum
 non fit nisi hiis qui sunt capaces precepti, set illa comminatio fit non solum adultis, set uniuersis, etiam paruulis, qui non sunt capaces precepti, alia autem de quibus arguitur fiunt solum adultis; ergo non est
 55 comminatio precepti, set potius institutio sacramenti, quod concedendum est. Et sic patet primum.

M160rb

[A8-B8] Quantum ad secundum sciendum quod MAGISTER uidetur sentire in littera quod circumcisio, licet culpam auferret, non tamen conferebat gratiam. Communiter tamen in hoc non tenetur
 60 propter duas rationes. Prima est quia priuatiue oppositorum | necesse est alterum inesse subiecto; set gratia et culpa se habent ut priuatiue opposita (culpa enim est priuatio gratie); ergo si per circumcisionem auferebatur culpa, necessarium erat inesse gratiam. | Secunda est ista:
 circumcिसus decedens, si erat sine gratia, non ibat *ad* paradisi, quia
 65 erat sine gratia, per quam itur ad uitam eternam, R o m . 6: *Gratia Dei uita eterna*, nec in infernum, quia erat sine culpa, nec in purgatorium,

*Na65vb**K4vb*

quia non erat dignus pena sensus que est in purgatorio; et secundum fidem non sunt plures habitationes animarum post mortem; ergo non est conueniens dicere quod circumcisio auferret culpam et non conferret gratiam. 70

P90vb [A9-B9] Qui | uellet sustinere MAGISTRVM posset respondere ad rationes istas: ad primam dicendo quod culpa non est priuatio gratie formaliter et directe, set solum meritorie, quia propter meritum culpe uel potius demeritum Deus aufert gratiam ab illo qui peccat. Posset tamen Deus facere quod aliquis esset sine culpa et gratia, sicut si miraculose 75
L4vb formaretur aliquis de limo | terre ut Adam; | talis enim non haberet
M160va culpam originalem nec esset necesse quod Deus daret ei gratiam, quod etiam ALIQVI estimauerunt de Adam in prima sui creatione.

[A10-B10] Ad secundam potest dici quod modicum artat nos illa distinctio *mansionum*: | preter enim illas fuit limbus *, in quo *il- 80
V80rb las*, si uellet, reponeret, aut eis aliam assignaret pro beneplacito suo. Puto *tamen* quod, quamuis Deus possit facere aliquem sine gratia et culpa, tamen non est possibile quod culpa remittatur et gratia non
E6ra | *conferatur*, quia culpam remitti est eam non imputari ad penam; 85
 quamdiu autem gratia non redditur, adhuc culpa imputatur ad penam dampni, que est communis peccato originali et actuali mortali; ergo

nondum est culpa totaliter dimissa. Dato etiam quod Deus posset facere quod alicui *auferretur culpa et* non conferretur gratia, tamen non facit hoc, set in omnibus sacramentis auferentibus culpam confert gratiam. Cuius ratio est quia sacramenta auferentia culpam reponunt hominem in statu priori quantum ad id quod est necessitatis ad | salutem; alioquin essent imperfecta. Non tamen reponunt in eodem statu pristinae dignitatis: uirgo enim per fornicationem corrupta reparatur per penitentiam ad gratiam, non autem ad uirginitatem; set status ante culpam fuit status gratie; ergo ad hunc statum reparamur per sacramenta auferentia culpam et conferentia gratiam. Circumcisio *igitur* non solum aufert culpam, set confert gratiam, non solum quoad actus priuationis, ut QUIDAM dixerunt, set etiam ad actus positionis, quia positua causa potest in posituum effectum.

100 [A11-B11] Ad rationes in oppositum dicendum: ad primam quod sacramenta non solum efficiunt id quod figurant, set omne illud quod infallibiliter | concomitatur effectum figuratum; ablationem autem culpe infallibiliter concomitatur collatio gratie.

105 [A12-B12] Ad secundam dicendum quod per circumcisionem in adulto auferebatur culpa non solum originalis, set etiam actualis mor-

talis, nisi circumcisis poneret obicem gratie. Quod autem hoc non legatur, pro tanto est, quia circumcisio non ordinabatur principaliter ad remissionem actualis, set originalis.

<QUESTIO SEPTIMA

VTRVM SOLA FIDES PARENTVM SVFFICERET PARVVLIS
AD SALVTEM SINE SIGNO EXTERIORI>

[A1-B1] Deinde queritur de remedio paruulorum ante circumcisio-
nem utrum sufficeret ad salutem eorum sola fides interior parentum uel 5
requireretur aliquod signum exterius. Et uidetur quod sufficeret sola
fides interior sine exteriori signo: primo per auctoritatem GREGORII IV
lib. *Moralium*, et habetur *De consecr.* dist. 4 *c. *Quod apud**,
ubi dicit sic: *Quod apud nos ualet aqua baptismi, hoc egit apud ueteres*
pro paruulis sola fides. 10

Na66ra [A2-B2] Item | si requirebatur aliquod signum exterius, aut requi-
rebatur propter sacramentum aut propter preceptum; set neutro modo
requirebatur, cum non essent tunc instituta aliqua sacramenta nec de
exterioribus actibus aliqua precepta data; quare etc.

15 [A3-B3] In contrarium arguitur quia fides non fuit tunc efficacior quam nunc; set nunc non sufficit ad iustificationem paruuli fides interior sine signo exteriori; ergo nec tunc.

[A4-B4] Responso. Dicenda sunt quatuor | per ordinem. Primum *K5ra*
est quod post lapsum hominis in peccatum fides mediatoris fuit neces-
saria ad iustificationem. Secundum est quod ad iustificationem paruuli
20 non fuit necessaria fides propria, set sufficiebat aliena. Tertium est
quod non sufficiebat fides aliena ut erat persone, | set ut erat Ecclesie. *M161ra*
Quartum est quod non sufficiebat fides interior sine signo exteriore.

[A5-B5] Primum patet, quia nullus potest iustificari nisi per unio-
nem ad Christum, qui est principalis causa nostre iustificationis; set
25 prima unio ad Christum est per fidem, sine qua nulla alia esse potest;
ergo fides Christi siue mediatoris semper fuit necessaria ad salutem. Per
idem patet quod requirebatur fides secundum actum *et* non solum se-
cundum habitum, | quia actualis unio ad Christum non potest esse *V80va*
30 secundum habitum, set secundum actum; cum ergo actualis iustificatio
sit per actualem unionem, non sufficiebat ad iustificationem | fides *P91ra*
secundum habitum, set requirebatur secundum actum. Idem patet, quia
fides operabatur ad iustificationem per modum meriti, ut patebit in
tertio membro; set meritum consistit | in actu, non in habitu; ergo etc. *L5ra*

35 [A6-B6] Secundum patet, quia uitium contractum per alium debet
habere remedium per alium; set peccatum originale fuit uitium con-
tractum per alium; ergo debuit habere remedium per alium. Cum ergo

E67b fides | operaretur ad eius emundationem, ut dictum est, patet quod non requirebatur fides propria, set sufficebat aliena.

[A7-B7] Tertium patet, quia actus unius non potest ualere alteri ad iustificationem nisi per modum meriti seu suffragii, quod idem est, uel per modum sacramenti; set fides aliena non poterat alteri ualere per modum sacramenti, quia nondum erant instituta aliqua sacramenta; ergo ualebat per modum suffragii uel meriti. Hoc autem non poterat
M1617b fides aliena, ut erat persone, quia frequenter erat informis. | Fides autem informis unius non meretur aliquid alteri, nec de condigno, nec de congruo, licet per fidem informem aliquis possit mereri sibi ipsi de congruo; ergo oportebat quod fides illa mereretur paruulo iustificationem, ut erat fides Ecclesie, que semper est formata; quare etc.

[A8-B8] Quartum patet sic: fides aliena non sufficit ad iustificationem, nisi ut est fides Ecclesie; set nullus gerit personam Ecclesie, ut sic per solum actum interiorem, nisi concomitetur aliquis actus exterior, ut patet etiam nunc: sacerdos enim quicumque utens mentali oratione
B277a solum, nullo signo exteriori adhibito, factis uel dictis non gerit | uicem ministri Ecclesie; unde tales orationes sunt eius ut persona priuata est, non ut publica. Ergo oportebat quod fidei interiori adhiberetur aliquis
Z1537b motus exterior facto uel | dicto. Probabile enim est quod parentes fideles pro paruulis natis et maxime in periculo existentibus Deo aliquas preces funderent uel aliquam benedictionem adhiberent. Ex eodem

60 patet quod adulti poterant iustificari per interiorem motum fidei sue
absque signo exteriori, quia fides propria licet informis meretur pro-
priam iustificationem sine quocumque exteriori, sicut scriptum allegat
APOSTOLVS Ro m. 4: *Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad*
iustitiam. Ipsa tamen fides hominem instigabat ut se aliquibus signis,
65 quando tempus erat, demonstraret; quando tamen illa signa adhibe-
bantur, non erat ex eis efficacia remissionis, set ex interiori fide, sicut
de caritate dicimus, cum exit in actum, quando est tempus, | et tamen
meritum non est ex exteriori | opere, set ex caritate.

M161va

Na66rb

[A9-B9] Ad primum argumentum dicendum quod GREGORIVS fuit
70 huius opinionis et non oportet tenere; uel dicendum quod GREGO-
RIVS non intendit excludere omne extrinsecum, set solum illud quod
haberet rationem sacramenti uel sacrificii, ut patet ex consequentibus
uerbis.

[A10-B10] Ad secundum dicendum quod signum exterius non adhi-
75 bebatur | ratione sacramenti aut precepti, set ut motus fidei esset non
persone, ut persona priuata, set ut gerens uicem Ecclesie, ut dictum est.

K5rb

[A11-B11] Ad argumentum in oppositum potest responderi quod
fides modernorum est eque efficax sicut fides antiquorum; quod autem
preter eam requiratur aliquid extrinsecum ad iustificationem, non est

V80vb propter eius | inefficaciam, set quia aliquid additum est a Deo quod 80
 necesse est obseruari, sicut obseruantia preceptorum in religioso est
 eque efficax sicut in seculari, et tamen in seculari sufficit ad salutem, in
 religioso autem non, quia ex uoto religionis aliquid additum est quod
 necesse est obseruari ad salutem eorum.

<QVESTIO OCTAVA

VTRVM LEGALIA DEBVERINT CESSARE IN ADVENTV CHRISTI>

[A1-B1] Postea queritur utrum legalia debuerint cessare in aduentu
 Christi. Et uidetur quod non, quia secundum HVGONEM DE SANCTO
 VICTORE lib. *D e s a c r a m e n t i s* sacramenta legalia fuerunt decime, 5
 oblationes, sacrificia; set adhuc manent decime et oblationes; ergo sa-
 cramenta legalia non cessauerunt.

[A2-B2] Item Christus *non* uenit *legem soluere, set adimplere*, ut di-
 citur *M a t t h . 5*; set hoc non esset, nisi in noua lege manerent ea que
 sunt ueteris legis inter que precipua fuerunt sacramenta; ergo etc. 10

M161vb [A3-B3] Item tenemur ad seruandum precepta Noui Testamenti |
E6va et statuta | Ecclesie; set preceptum | Apostolorum in Nouo Testamento
L5rb fuit de quibusdam legalibus obseruandis *A c t . 15*, ubi dicitur: *Visum*
P91rb *est Spiritui | Sancto et nobis ut abstineatis uos ab immolatis simulacrorum*
et sanguine suffocato et fornicatione; ergo tenemur ad legalia obseruanda. 15

[A4-B4] In contrarium **arguitur** quod secundum APOSTOLVM Hebr. 7 *translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat*; set in aduentu Christi translatum est sacerdotium ueteris legis, quod fuit secundum ordinem Aaron, in sacerdotium Christi quod est secundum ordinem Melchisedech; ergo in aduentu Christi facta est translatio legis. Set lex potissime consistit in sacramentis; **ergo** etc.

[A5-B5] Responsio. Videnda sunt duo. Primum est de causa cessationis sacramentorum ueteris legis. Secundum est de tempore cessationis.

25 [A6-B6] De primo sciendum est quod causam cessationis sacramentorum legalium possumus ex tribus accipere que fuerunt in sacramentis ueteris legis: fuerunt enim quantum ad significantiam obscura, quod inerat eis ex eo quod erant signa futurorum, sicut ait APOSTOLVS Hebr. 10: *Vnquam habens lex futurorum bonorum*. Item fuerunt quantum ad efficaciam imperfecta, quia non conferebant gratiam uel si conferebant, imperfectam **tamen**; unde APOSTOLVS Hebr. 7: *Nichil ad perfectum adducit lex*. Fuerunt etiam quantum ad obseruantiam onerosa, unde Act. 15 dicit Petrus: *Quid tentatis imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod *nec* nos *nec* patres nostri portare potuimus?* Econtrario tempus gratie hiis contrariatur. Est enim tempus ueritatis clare exhibite contra futurorum obscuram significantiam, Ioh. 1: *Veritas | per Iesum Christum facta est*. Item est tempus pleni-

M162ra

tudinis contra imperfectam efficaciam, Gal. 4: * *Vbi uenit plenitudo
 temporis*, etc. Est nichilo minus tempus mansuetudinis contra onero- 40
 sam obseruantiam, Mat. 11: *Iugum meum suaue est et onus meum
 leue*. Ex hiis formari potest talis ratio: contraria non possunt esse simul,
 set mutuo se expellunt; set sacramenta ueteris legis habuerunt contra-
 rias condiciones ad tempus gratie, ut declaratum | est; ergo adueniente 45
 tempore gratie sacramenta ueteris legis debuerunt cessare, ut sic ueri-
 tas presentialiter exhibita expelleret *futurorum* obscuram significan-
 tiam, quantum ad primum. Vnde AVGVSTINVS C O N T R A F A U S T U M
 XIX cap. dicit sic: si ista sacramenta adhuc seruarentur, nichil aliud
 esset nisi quod ille qui iam uenit pronuntiaretur uenturus; quod enim
 pronuntiatur futurum, aut frustra pronuntiatur aut nondum | uenit. |
 Item ut plenitudo euacuaret inefficaciam et benignitas onus excluderet. 50
 Et sic patet primum.

[A7-B7] Quantum ad secundum sciendum est quod de tempore
 cessationis legalium fuit inter HIERONYMVM et AVGVSTINVM diuersa
 sententia. | *Volebat enim HIERONYMVS quod statim post passionem Christi* 55
legalia fuissent mortifera illis quibus *gratia Noui Testamenti diuulgata*
 fuerat, hoc est quod sine peccato mortali non poterant obseruari; dicit
 tamen *Apostolos quadam pia dispensatione hiis usos fuisse ad uitandum*

- scandalum iudeorum, et ideo Petrus iudaizans non peccauit dispensatorie illud faciens, concordans ei quod *I Cor.* 8 dicitur: *Omnibus omnia factus sum* *etc.* Et similiter Paulus dispensatorie ipsum redarguit ne | *M162rb*
 gentiles, quorum Paulus erat Apostolus, exemplo Petri illa sacramenta quasi necessaria quererent; nam et Paulus inuenitur eadem pia simulatione seruasse, ut habetur *Act.* 21. Et sic uterque excusatur et Petrus a culpa et Paulus a procaci reprehensione.
- 65 [A8-B8] Set quia non uidetur conueniens quod Apostoli contra ueritatem doctrine fecissent aliquid ad uitandum scandalum – utilius enim nasci scandalum permittitur quam ueritas relinquatur, ut dicit BEDA –, nec uidetur conueniens quod PAVLVS *Gal.* | 2 aliquid simulatorie diceret, ubi dicit Petrum reprehensibilem fuisse, ideo AVGVSTINVS dicit aliter et *E6vb*
 70 melius quod ante passionem Christi sacramenta legalia fuerunt a iudeis ex necessitate obseruanda propter iussionem diuinam, set | post passionem Christi et ante diuulgationem Euangelii obseruari poterant a iudeis ad fidem conuersis non ponendo spem in ipsis, quasi essent alicuius uirtutis *L5va*

aut quasi sine eis gratia Christi non sufficeret ad salutem, set ne omnino uideretur lex uetus reprobanda tamquam per se mala, ut idolatria; erat enim mater sinagoga sic cum honore deducenda ad tumulum. Set post diuulgationem Euangelii legalia fuerunt mortifera. Medio ergo tempore Petrus et Paulus et alii Apostoli legalia obseruauerunt, non simulatorie, set uere, non ponendo tamen spem in eis. Petrus tamen incaute se habuit in obseruatione legalium nimis condescendens iudeis qui legalia obseruanda dicebant, ita ut aliqui eius exemplo inducerentur ad ea obseruanda quasi necessaria. Et ideo uere reprehensibilis erat, quia aliquam culpam, licet leuem, incurrit, Paulus uero ipsum uere reprehendit. Et sic patet secundum.

[A9-B9] Ad argumenta in oppositum. Ad primum dicendum quod decime et oblationes non pertinebant ad sacramenta ueteris legis nisi quatinus aliquid figurabant. Et secundum hoc non remanserunt in noua lege, set solum quantum ad id quod morale est in eis, scilicet in quantum decime sunt ad sustentationem ministrorum Ecclesie, oblationes uero sunt opus deuotionis fidelium.

[A10-B10] Ad secundum dicendum quod Christus impleuit legem quoad precepta moralia superaddendo consilia, quoad figuralia uero exhibendo presentialiter quod figurabant futurum, quo facto cessare debuerunt, ut ostensum est.

[A11-B11] Ad tertium dicendum quod illa sententia Apostolorum Act. 15 non fuit preceptum in posterum obseruandum quantum ad

aliqua que ibi continentur, set fuit partim ad conseruandam conscientiam, partim uero ad conseruandam pacem iudeorum et gentilium ad fidem nouiter conuersorum. Prohibebatur ergo fornicatio tamquam
100 per se malum propter conscientiam, que prius apud gentiles non reputabatur peccatum. Immolata autem idolis prohibebantur tamquam illa que poterant in cordibus iudeorum generare suspicionem idolatrie de gentibus ad fidem conuersis. Sanguis autem suffocatus prohibebatur, quia | abominatio erat iudeis propter dissuetudinem, sicut etiam *ho-
105 die oportet*, si aliquis uult *cum aliquo socialiter* | uiuere, ut abstineat ab hiis que alius abominatur. Et hoc institutum fuit propter pacem, quousque | plene diuulgatum esset Euangelium.

*B27rb**Na66vb**V81rb*

<DISTINCTIO SECVNDA
QVESTIO PRIMA
VTRVM OMNIA SACRAMENTA NOVE LEGIS
FVERINT A CHRISTO INSTITVTA>

- K5vb* [A1-B1] *Iam ad *sacramenta** etc. Circa distinctionem istam primo 5
M162va queritur utrum omnia sacramenta noue legis fuerint | a Christo insti-
tuta. Et uidetur quod non, quia ea que instituta sunt a Christo expresse
traduntur in Scriptura, quia per nichil aliud scimus aliquid de factis
Christi; set de institutione multorum sacramentorum nichil legitur in
Scriptura Christus dixisse, ut de confirmatione et extrema unctione; 10
Z153vb ergo uidetur quod talia non fuerunt a Christo | instituta.
[A2-B2] Item *Apostoli gesserunt uicem Christi in terris*. Sicut ergo
Christus potuit aliqua sacramenta instituere ut dominus, ita Apostoli
ut uicarii.
[A3-B3] In contrarium arguitur quia digniora sunt sacramenta 15
noue legis quam ueteris; set sacramenta ueteris legis fuerunt instituta a
Deo; ergo fortiori ratione sacramenta noue legis.
[A4-B4] Responsio. Videnda sunt duo. Primum est de sacramento-
rum institutione; secundum est de eorum sufficientia et ordine. Quan-
tum ad primum sciendum est quod, si questio esset de possibili, scilicet 20
E7ra quis potuit sacramenta instituere, | dicendum esset quod solus Deus

per primariam auctoritatem, set per auctoritatem commissam potuis-
sent homines, si eis commissum fuisset.

[A5-B5] Primum apparet, quia, sicut per primariam auctoritatem
25 nullus potest legem condere nisi qui potest tribuere legi uirtutem sub-
ditos obligandi, sic ille solus potest *sacramenta* instituere qui pot-
est ipsis dare uirtutem iustificandi, quia sicut lex auctoritate legislatoris
obligat, sic sacramentum ex uirtute instituentis non ex se iustificat,
set solus Deus potest tribuere sacramentis uirtutem iustificandi. | Ergo *L5vb*
30 solus Deus per primariam auctoritatem sacramenta instituere potest.

[A6-B6] Secundum patet, quia omne illud potest Deus conferre
hominibus cuius homines sunt capaces, | quia Deus potest facere quic-
quid creatura potest suscipere; set homines sunt capaces huius aucto-
ritatis instituendi *sacramenta* per potestatem commissam ut uicarii;
35 ergo etc. Minor declaratur, quia sicut nichil repugnat nature rei quod
homo sit minister dispensationis sacramenti, sic etiam non repugnat
quod sit minister institutionis; et quia uicarius uel minister non habet
potestatem nisi secundum formam sibi traditam, hinc est quod potuit
committi homini quod sacramenta institueret absque hoc quod institu-
40 ta mutaret uel in eis dispensaret, sicut et nunc ministri, qui sunt solum
dispensatores | sacramentorum, mediantibus sacramentis spiritualem *M163ra*
effectum conferunt quem auferre non possunt. Posset nichilominus *P91vb*

Deus utramque auctoritatem homini conferre, scilicet ut sacramenta institueret et instituta mutaret uel in institutis dispensaret.

[A7-B7] Si uero questio sit de facto, *scilicet an* omnia sacramenta fuerint a Deo immediate instituta, quamuis aliqui censuerint quod non, set solum illa que sunt maioris necessitatis aut dignitatis, ut baptismus, penitentia, eucharistia et ordo, de quorum institutione expresse legitur in Euangelio, confirmatio uero et extrema unctio instituta fuerunt ab *ipsis* Apostolis, ut dicunt, eo quod sunt minoris auctoritatis et necessitatis, tamen probabilius tenetur quod omnia fuerunt a Deo immediate instituta. 45 50

[A8-B8] Cuius ratio est quia fundamentum Ecclesie sunt fides et sacramenta. Vnde AVGVSTINVS tractans illud Io h. 19: *Vnus militum lancea latus eius aperuit et continuo exiuit sanguis et aqua*, dicit quod sicut de latere Adam dormientis formata est Eua, sic de latere Christi in cruce morientis formata est Ecclesia, quia | inde fluxerunt Ecclesie sacramenta. Cum ergo nullum sacramentorum sit quod non pertineat ad fundamentum Ecclesie, probabile est quod non solum quedam, *M163rb* set omnia fuerunt a Christo fundatore Ecclesie instituta. | In hoc tamen uera est prima opinio quod si institutio sacramentorum uocetur promulgatio eorum, sic illa que sunt maioris necessitatis uel dignitatis 55 60

V81va

fuerunt a Christo instituta et immediate promulgata, que uero non sunt tante dignitatis aut necessitatis fuerunt promulgata | ab Apostolis
 65 processu temporis *.

[A9-B9] De secundo, scilicet de sacramentorum sufficientia et ordine, notandum quod, cum sacramenta perficiant nos in uita spirituali, que aliquo modo conformitatem habet ad uitam corporalem, ideo per
 70 comparationem ad ea que sunt in uita corporali sic sumenda est eorum sufficientia. In | uita enim corporali dupliciter perficitur aliquis: *K6ra*
 uno modo quoad se, ut est persona priuata, alio modo per respectum ad communitatem cuius est pars, quia homo *est naturaliter* animal sociale. Primo modo perficitur aliquis in uita corporali tripliciter: primo
 75 acquirendo esse per generationem; secundo acquirendo perfectam quantitatem et uirtutem per augmentum; tertio modo continuando utrumque per nutritionem. | Similiter in uita spirituali primo acquiritur
 80 esse spirituale per baptismum, qui est spiritualis regeneratio secundum illud *T i t . 3: Per lauacrum regenerationis* etc.; secundo acquiritur perfectio uirtutis quasi cuiusdam spiritualis quantitatis per confirmationem, que est quasi quoddam spirituale augmentum, quia in ea datur Spiritus Sanctus ad robur, unde dictum est Apostolis *L c . ultimo: Sedete in ciuitate donec induamini uirtute ex alto;* | tertio utrumque
 85 *M163va* *et biberitis eius sanguinem* etc. Et hec quidem sufficerent homini tam

L6ra in uita corporali quam etiam in spirituali, si | haberet uitam impassibilem. Set quia homo quandoque incurrit infirmitatem corporalem et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate, que quidem curatio est duplex: una que sanitatem restituit, et loco huius in uita spirituali est penitentia; alia * est que pristinam ualitudinem reddit, et loco huius in spirituali uita est extrema unctio, que remouet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam. In ordine autem ad totam communitatem perficitur homo dupliciter: uno modo | in statu prelati accipiendo gradum regendi totam multitudinem, et ad hoc perficit sacramentum ordinis; alio modo in statu subditi multiplicando communitatem per actum propagationis, ad quod ordinatur sacramentum matrimonii, et ita sunt in uniuerso septem sacramenta. 90 95

[A10-B10] Alio modo potest sumi breuius eorum sufficientia *ex parte adiutorii* quod conferunt: sacramenta enim expediunt nos ad actum uirtutum que sunt septem, tres theologice et quatuor cardinales. Ad actum ergo fidei expedit nos baptismus, ad actum spei extrema unctio, ad actum caritatis eucharistia, ad * actum uero fortitudinis confirmatio, ad actum iustitie penitentia, ad actum prudentie ordo, ad actum temperantie matrimonium. 100 105

[A11-B11] *Ordo* autem | istorum sacramentorum, prout de ipsis P92ra
determinat MAGISTER, est ordo secundum *uiam generationis et quoad*
nos, secundum | quem modum *bonum priuatum persone singularis prius* M163vb
est quam bonum commune Ecclesie, sicut pars est prior suo toto. Et ideo
110 *sacramenta que pertinent ad bonum priuatum persone preordinantur illis*
que pertinent ad bonum commune Ecclesie, scilicet ordini et matrimonio.
Inter | illa uero que pertinent ad bonum priuatum persone primum est V81vb
sacramentum inrantium, scilicet baptismus, ultimum uero est sacramen-
tum exeuntium, que est extrema unctio; media autem sunt sacramenta
115 *progredientium, inter que primo est illud quod pertinet ad gratie collate*
roborationem, scilicet confirmatio, deinde illud quod pertinet ad gratie
conseruationem, scilicet eucharistia, ultimo illud quod pertinet ad eius
reparationem, si eam contingat amitti, et hec est penitentia. Inter uero
120 *sacramenta que respiciunt bonum commune Ecclesie prius est illud quod*
ordinat et dispensat, scilicet ordo, quam illud quod ordinatur et dispensa-
tur, idest matrimonium.

[A12-B12] Ad rationes in oppositum. | Ad primam dicendum est Na67rb
quod, sicut dicitur I o h. ultimo: *Multa signa fecit Iesus que non sunt*
scripta in libro hoc. Vnde esto quod nichil expresse legeretur in Scrip-
125 tura de institutione aliquorum sacramentorum, tamen non sequitur

quin ea Christus instituerit, quia *multa fecit que scripta non sunt*, set deriuata sunt ad posteros ex familiari traditione Apostolorum, sicut dixit
 B27va APOSTOLVS I C o r. 11: *Cetera cum uenero, | disponam*. Posset tamen
 dici quod Christus *sacramentum confirmationis instituit, quando manus*
 K6rb *imposuit pueris, extremam uero unctionem, quando Apostolos | misit ad* 130
predicandum, qui inungebant oleo infirmos, ut legitur M c. 6.

[A13-B13] Ad secundum dicendum quod Apostoli et eorum suc-
 M164ra cessores sunt uicarii Dei quantum ad regimen institute Ecclesie | per
 E7va fidem et sacramenta. Vnde sicut non | licet eis constituere aliam Ec-
 clesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem nec instituere alia sacra- 135
 menta; sunt enim ministri et dispensatores tantum, ut dicitur I C o r.
 4: *Sic nos existimet homo ut ministros Dei et dispensatores ministeriorum*
Dei.

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM BAPTIZATI BAPTISMO IOANNIS DEBVERINT
POSTEA BAPTIZARI BAPTISMO CHRISTI>

[A1-B1] Secundo queritur de baptismo Ioannis, qui fuit preambulum
5 ad baptismum Christi. Et queritur utrum baptizati baptismo Ioannis
debuerint postea baptizari baptismo Christi. Et uidetur quod non,
quia *non plus ualet baptismus Christi fecte accedenti quam baptismus Io-*
annis deuote accedenti; set baptismus Christi *sufficit ad salutem* fecte
10 accedenti cum *datione Spiritus Sancti* recedente fictione; *ergo et* bap-
tismus Ioannis *sufficiebat* deuote accedenti cum impositione manuum
Apostolorum, *in qua dabatur Spiritus Sanctus*.

[A2-B2] Item *omnis Christi actio nostra est instructio*; set Christus
baptizatus baptismo Ioannis non fuit postea baptizatus alio baptismo;
ergo similiter ceteri baptismo Ioannis baptizati non debuerunt alio
15 baptismo baptizari.

[A3-B3] In contrarium est quod dicit ipsemet Ioannes Baptista: | *L6rb*
Ego baptizo uos in aqua in penitentiam, ipse baptizabit uos in Spiritu
Sancto, ut habetur *M a t t h . 3*, in quo innuit ipse Ioannes quod bap-
tizati ab ipso erant baptizandi a Christo.

20 [A4-B4] Responsio. Dicenda sunt quatuor: primo qualis fuit ille
baptismus; secundum a quo et propter quid fuit institutus; tertium

quid est eius effectus; quartum erit, quod principaliter queritur, utrum baptizati baptismo Ioannis essent baptizandi baptismo Christi.

[A5-B5] Quantum ad primum, scilicet qualis fuerit ille baptismus, dicendum quod, si queratur de materia, patet quod fuit in aqua, sicut 25
M164rb ipse Ioannes dixit *M a t t h . 3: Ego | baptizo uos in aqua*. Si uero queritur de forma, sic communiter dicitur quod forma fuit hoc: *Ego baptizo te in nomine uenturi*. Probatur etiam hoc per illud solum quod dicit Paulus *A c t . 19* ad illos qui erant baptizati baptismo Ioannis: *Ioannes baptizauit baptismo penitentiae populum dicens in eum qui uenturus esset* 30
V82ra *post ipsum ut crederent, hoc est | in Iesum*. Set ex hoc non uidetur sufficienter probari quod illa uerba sint forma baptismi Ioannis: uidetur enim intentio beati Pauli fuisse quod illa essent uerba Ioannis docentis, *Z154rb* non forma | baptizantis, quod patet ex ipso contextu uerborum. Dicit enim primo quod baptizabat baptismo penitentiae, deinde quod dicebat ut crederent in Christum uenturum; constat autem quod de forma baptismi non erat penitentia, set solum de doctrina; ergo eodem modo de forma baptismi non erat quod crederent in nomen uenturi, set solum de doctrina.

[A6-B6] Item Ioannes baptizauit Christum et constat quod non in forma uenturi; quare etc. 40

[A7-B7] Posset igitur probabiliter dici quod Ioannes non baptizabat | sub aliqua determinata forma uerborum, quia baptismus Ioannis

fuit medius inter sacramenta ueteris legis et noue. Conueniebat enim
 45 cum sacramentis noue legis et maxime cum baptismo Christi in ma-
 teria uel in expressa significantia; cum sacramentis uero ueteris legis
 in insufficientia, quia non conferebat gratiam, ut dicitur. Cum ergo
 efficacia sacramenti forme attribuitur, sicut in rebus naturalibus tota
 uirtus et actio est a forma, *potest probabiliter* teneri quod Ioannes in
 50 baptismo | suo non utebatur aliqua forma uerborum. | Quia tamen
 questio hec est de facto de quo Scriptura nichil expresse determinat,
 ideo utrumque potest probabiliter teneri sine aliquo periculo.

Na67va

M164va

[A8-B8] Quantum ad secundum sciendum quod baptismus Ioan-
 nis fuit institutus triplici de causa: *primo ad prefigurandum baptismum*
 55 *Christi, et sic fuit sacramentum* eo modo quo sacramenta ueteris legis,
 scilicet per modum signi.

[A9-B9] *Secundo ad preparandum et assuefaciendum homines ad bap-*
tismum Christi, et sic fuit quasi quoddam sacramentale *baptismi Chri-*
sti, maxime quantum ad doctrinam baptismo Ioannis annexam. Et sic
 60 loquitur Glossa super illud I o h. 1 *Erat Ioannes baptizans*, dicens sic:
Quantum prodest cathecumenis | ante baptismum doctrina fidei, tantum
profuit baptismus Ioannis ante baptismum Christi.

E7vb

[A10-B10] *Tertio* fuit institutus *ad preparandum materiam baptismo*
K6va Christi per sanctificationem aquarum | ex contactu carnis Christi quem
*baptizavit, sicut *BEDA dicit* in Homilia super illud Matth. 3 Venit* 65
Iesus a Galilea ad Ioannem in Iordanem etc.: Christus tactu mundis-
sime carnis sue etc. Iste ergo sunt cause institutionis baptismi Ioannis.
 Causa institutionis primaria fuit Deus inspirans Ioanni institutionem
 baptismi, ministerialis uero et secundaria fuit ipse Ioannes, ut tangitur
 Ioh. 1, ubi dicitur sic ex persona Ioannis: *Qui misit me baptizare in* 70
aqua, ille michi dixit etc. Quamuis autem principalis institutor fuerit
 Deus, Ioannes uero solum minister, tamen ‘baptismus’ denominatur
 a Ioanne, et dicitur ‘baptismus Ioannis’ propter tria: primo, *quia fuit*
minister primarie institutionis, quod non fuit Petrus uel Paulus nec 75
 aliquis Apostolus respectu baptismi Christi, quo baptizabant. Et ideo
 non dicitur baptismus Petri uel Pauli, immo reprehenditur iste modus
M164vb | loquendi I Cor. 1: Ego quidem sum Pauli etc. Secundo, quia fuit
minister singularis executionis: nullus enim baptizavit baptismo suo nisi
 ipse singulariter, non sic autem de baptismo Christi. Tertio, *quia fuit*
L6va actor totius quod fiebat in illo baptismo, quia nichil | fiebat interius, set 80
totum exterius, non sic autem de ministris sacramentorum noue legis.

[A11-B11] Quantum ad tertium tenetur communiter de baptismo Ioannis quod non conferebat gratiam. Quod probatur auctoritate Sacre Scripture, ex determinatione Ecclesie et probabili ratione. Auctoritas Sacre Scripture habetur *M a t t h . 3*, ubi dixit Ioannes, sicut iam allegatum est: *Ego baptizo uos in aqua, ipse baptizabit uos in Spiritu Sancto*. Et *A c t . 1* dixit Christus: *Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizamini Spiritu Sancto, non post multos hos dies*. Ex quo sic arguitur: gratia, per quam est remissio | peccatorum, non datur nisi per Spiritum Sanctum; set baptismus Ioannis erat in aqua, non in Spiritu, ut patet ex differentia que ponitur inter ipsum et baptismum Christi; ergo baptismus Ioannis non conferebat gratiam. Set si quis diligenter aduertat sensum Scripture, predicte auctoritates non loquuntur de baptismo Christi, qui erat in aqua cum determinata forma uerborum, set loquuntur de missione Spiritus Sancti facta in specie ignis in die Pentecostes *, que dicitur baptismus, quia per Spiritum Sanctum abluatur immunditia quarumcumque sordium spiritualium. Et hoc idem patet ex auctoritate *A c t . Apostolorum*, que de hoc specialiter loquitur. Dictum etiam Ioannis *M a t t h . 3* ad idem refertur, quod patet, quia

V82rb

cum dixisset: *Ipse baptizabit uos Spiritu Sancto*, addidit: *et igni*. Ex quo 100
 patet quod *auctoritates ille* sunt extra sensum suum adducte. Nichilo-
 minus | quantum pertinet ad propositum satis concluditur ex parte auc-
 toritatis, quia utraque tantum dicit quod Ioannes baptizabat aqua, per
 solam autem aquam non confertur gratia nec fit remissio peccatorum.

[A12-B12] Idem patet ex determinatione Ecclesie, que habetur D e 105
 c o n s e c r. dist. 4 *Non regenerabantur*. Et est AVGVSTINI et sumitur
 de E n c h i r i d i o n, ubi expresse dicitur quod *non regenerabantur* uel
 renascebantur *qui baptizabantur baptismo Ioannis*, per gratiam autem
 renascimur spirituali uite; quare etc. Est etiam ad hoc probabilis ratio,
 quia sacramenta non efficiunt nisi illud ad quod instituta sunt. Set 110
 baptismus | Ioannis non fuit institutus nisi ad prefigurandum | baptis-
 mum Christi et preparandum homines ad ipsum et ad disponendum
 | materiam pro baptismo Christi, ut dictum fuit prius, et ipse Ioannes
 testatur I o h. 1 cap. dicens: *Ego uox clamantis in deserto: Dirigite uiam*
Domini, sicut dicit ESAIA propheta et M c. 1: *Vox clamantis in deserto:* 115
Parate uiam domini. Ergo baptismus eius gratiam non conferebat, set
 solum ad baptismum Christi disponebat.

[A13-B13] Quantum ad quartum, quod principaliter queritur, di-
 cendum quod opinio MAGISTRI | fuit, ut patet in littera, quod recipiens
 E8ra

- 120 baptismum Ioannis, si in eo spem poneret non referens ipsum ad baptismum Christi aut non habens perfectam fidem Trinitatis, ut illi qui dixerunt *Act. 19: Neque si Spiritus Sanctus est audiimus*, tales erant rebaptizandi. Illi uero qui non sistebant | in baptismo Ioannis, set referabant ipsum | ad Christum et habebant perfectam fidem Trinitatis, *B27vb*
K6vb
- 125 non erant rebaptizandi, set sufficiebat impositio manuum Apostolorum, per quam recipiebant Spiritum Sanctum, ita quod ex baptismo Ioannis | precepto et gratia Christi per manuum impositionem subsequuta fiebat unum perfectum sacramentum, quod non erat iterandum. *M165rb*
- [A14-B14] Set istud non uidetur uerum quantum ad secundam
- 130 partem, quia sacramenta noue legis habent efficaciam ex opere operato. Et ideo spes et deuotio suscipientis non facit sacramentum, nisi concurrant illa que sunt de necessitate sacramenti, et econtrario absque deuotione persone recipientis recipitur uerum sacramentum, si concurrunt illa que sunt de necessitate sacramenti. Vnde indeuotus
- 135 recipit baptismum, licet nichil speret utilitatis de baptismo, si tamen intendat recipere quod Ecclesia intendit conferre. Et quantumcumque aliquis sit deuotus ad baptismum, non tamen recipit sacramentum baptismi, nisi fiant circa eum que sunt de necessitate sacramenti. Propter quod cum baptismus Ioannis ex se non esset sacramentum
- 140 noue legis, fides, spes et deuotio suscipientis non potuit facere quod reciperet uerum sacramentum baptismi. Erant ergo omnes tales rebaptizandi baptismo Christi, cum baptismus sit sacramentum necessitatis, sicut patet *Io h. 3.*

V82va [A15-B15] Ad idem est auctoritas | beati AVGVSTINI Super Ioh. 145
 7, ubi dicit sic, et habetur De consecr. dist. 4 c. *Aliud est*, per
 uerba que sunt magis ad propositum: Baptizat Iudas et est baptizatum;
 baptizat Ioannes et non est baptizatum, quia baptismus Christi quo
 baptizauit Iudas, licet malus, fuit sacramentum noue legis, baptismus
 L6vb uero quo baptizauit Ioannes, licet bonus, | fuit solum preparatorius ad
 baptismum Christi. 150

[A16-B16] Ad primum argumentum dicendum quod baptismus
 Ioannis plus ualuit deuote suscipienti per modum meriti, set bap-
 tismus Christi plus ualuit fecte suscipienti per modum sacramenti.

[A17-B17] Ad secundum dicendum quod actio Christi non est
 semper nostra instructio ut similiter faciamus; neque enim ex miracu- 155
 M165va lis eius instruimur ad miracula facienda. | Est tamen instructio nostra
 quoad aliqua, et sic instruimur de baptismo Christi quo baptizatus est
 a Ioanne de humilitate Christi, qui uoluit a minori baptizari, et de uir-
 tute quam tunc contulit aquis. Quod autem non fuit postea baptizatus
 baptismo alio, causa est quia sicut nullus generatur a seipso in esse 160
 nature, sic nullus regeneratur a seipso in esse gratie. Cum ergo baptismus
 sit spiritalis regeneratio, Christus non debuit baptizari suo proprio
 baptismo, quod non habet locum in nobis, set potius oppositum.

<DISTINCTIO TERTIA
QUESTIO PRIMA
VTRVM FORMA BAPTISMI SIT CONVENIENS>

[A1-B1] *Post hec uidendum quid sit baptismus.* Circa distinctionem
5 istam primo queritur de forma baptismi qua utitur Ecclesia utrum sit
conueniens, hec scilicet: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spi-*
ritus Sancti. Et uidetur quod non, quia eodem precepto mandatum est
Apostolis docere et baptizare, *M a t h .* ultimo: *Ite docete omnes gentes*
baptizantes eos etc.; set docentem non oportet dicere: “Ego te doceo”;
10 ergo nec baptizantem: *Ego te baptizo.*

[A2-B2] Item effectus baptismi est a uirtute Trinitatis; set tanta est
uirtus unius persone sicut trium; ergo tantum ualet expressio unius
sicut trium.

[A3-B3] In contrarium est traditio Ecclesie.

15 [A4-B4] Responsio. Dicendum quod tria sunt in iam dicta forma
baptismi. Vnum est expressa nominatio personarum in Trinitate. Se-
cundum est ordine retrogrado expressio actus baptizandi et persone

suscipientis baptismum, cum dicitur: *Baptizo te*. Tertium est expressio
Na68ra persone baptizantis, | cum dicitur: *Ego*. Secundum hec dicenda sunt
Z154vb tria. Primum | est quod expressio | trium personarum | est de | necessi- 20
P92vb tate baptismi. Secundum est quod expressio actus et persone suscipien-
E8rb tis similiter sunt de necessitate sacramenti. Tertium est quod expressio
M165vb persone baptizantis non est de necessitate sacramenti, set solum de in-
 stitutione Ecclesie.

[A5-B5] Primum patet tripliciter. Primo ex Christi traditione que 25
 habetur *M a t t h.* ultimo, ut allegatum est: *Ite* etc.

[A6-B6] Secundo ex ratione, quia cum baptismus sit specialiter sa-
 cramentum fidei (per baptismum enim *ascribitur quis primo* cetui
K7ra fidelium), in ipso debet esse fidei protestatio uel insinuatio | et maior
 et expressior quam in ceteris sacramentis. Ex hoc sic arguitur. Exterior 30
 fidei protestatio debet correspondere actui interiori; set non est suffi-
 ciens fides interior qua creditur in unam personam sine alia; ergo non
 est sufficiens protestatio exterior qua exprimitur una persona sine alia.
 Cum ergo ad baptismum requiratur protestatio fidei expressa, maxi-
 me articuli Trinitatis, qui primus est, patet quod non sufficit expressio 35
 unius persone nisi omnes exprimantur.

[A7-B7] Tertio patet idem ex expressa determinatione Ecclesie que
 habetur *D e c o n s e c r.* dist. 4 *In synodo Anglorum*, ubi dicitur sic: *In*

40 *supra dicta synodo sacerdotes uoluerunt ut qui unam personam de Tri-
nitate in baptismo non nominaret, illud uerum baptisma esse non posset.
Quod pro certo uerum est.*

[A8-B8] Quod autem in primitiua Ecclesia baptizabatur solum in
nomine Christi, ut *legitur* A c t . 8, factum est | ex speciali reuelatione et V82vb
dispensatione Spiritus Sancti, sine qua non potuisset fieri. Causa autem
45 fuit ut nomen Christi amabilius redderetur, quod ualde odiosum erat
incredulis, sicut dicit APOSTOLVS I C o r . 1: *Nos predicamus Christum
crucifixum, iudeis quidem scandalum, | gentibus autem stultitiam.* Et M166ra
quia in baptismo dabatur uisibiliter Spiritus Sanctus, ex hoc redditum
est nomen Christi amabilius ratione baptismi talis quod conferebatur
50 in nomine ipsius. Cessante autem causa cessauit dispensatio. Vnde
nunc non esset baptismus, si baptizaretur solum in nomine Christi.

[A9-B9] In predicto ergo articulo intelligenda est responsio Nicolai
pape ad consulta Bulgarorum D e c o n s e c r . dist. 4 *A quodam iudeo,*
aliter non. Vnde IOANNES errauit in apparatu illius capituli et BER-
55 NARDVS in illo c. *Si quis puerum,* de baptismo et eius effectu c. 1,
qui | dixerunt quod si baptizaretur in nomine Christi, uerus baptismus L7ra
esset, quod non est uerum, ut patet ex dictis, quia, licet in nomine
Christi possit Trinitas intelligi, scilicet Pater ungens, Filius unctus et

Spiritus Sanctus unctio, tamen hoc non sufficit, quia forme uerborum sacramentalium debent esse uocaliter et sensibiliter expresse, sicut et materia est res sensibilis, nec sufficit intellectualis equipollentia. 60

[A10-B10] Secundum principale patet dupliciter. Primo per rationem que talis est: illud est directe de forma baptismi quod directe representat interiorem effectum baptismi; set expressio actus baptizandi et persone baptizate directe representat effectum baptismi; ergo est de necessitate sacramenti. Maior patet, quia sacramenta illud efficiunt quod figurant, et tam efficientia quam significantia potissime attribuitur forme. Minor similiter patet, quia interior effectus baptismi est ablutio suscipientis a peccato originali, quam directe signat expressio actus baptizandi cum persona baptizata, cum dicitur *Baptizo te*, quod est idem quod *Abluo te*. Secundo patet idem ex determinatione Ecclesie que habetur *Extra* de baptismo et eius effectu | c. 1, ubi dicitur sic: *Si quis puerum etiam in aqua *immerserit* in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et non dixerit: Ego baptizo te, non est puer baptizatus.* 65 70

M166r^b

[A11-B11] Tertium principale patet sic: illud quod est de necessitate baptismi est idem apud omnes conferentes uerum baptismum, quia omissio alicuius quod est de necessitate sacramenti euacuat sacramentum; set expressio persone baptizantis non obseruatur apud 75

80 Grecos (baptizant enim | sic: *Baptizetur seruus Christi, scilicet in no-* *E8va*
*mine Patris *etc.**), et tamen conferunt uerum baptismum, quia reuer- *Na68rb*
 tentes ex eis | ad obedientiam Ecclesie non rebaptizantur; ergo ex-
 pressio persone baptizantis non est de necessitate sacramenti. Causa
 autem quare Greci non exprimunt personam baptizantis est error qui
 tangitur I C o r. 1, quia quidam eorum attribuebant baptismum | *P93ra*
 85 ministro baptismi dicentes: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo,*
etc. Ad quem excludendum non exprimunt nomen ministri, quod
 tamen non est de necessitate sacramenti, sicut dictum est, set de sta-
 tuto Ecclesie. Et quia statutum | Ecclesie potest ligare ministrum, *K7rb*
 set non euacuare sacramentum, ideo scienter omittens peccat, tamen
 90 uere baptizat.

[A12-B12] Ad primum argumentum dicendum quod non est si-
 mile de uerbis sacramentalibus, que efficiunt quod significant (propter
 quod, ut efficiant, oportet quod exprimantur, quia quod non est nichil
 efficere potest, | et per eandem rationem diriguntur ad non intelligen- *Z155ra*
 95 tem ut factiua, non ut instructiua), et de uerbis doctrine, que solum
 sunt instructiua; non enim per hoc docetur aliquis, quia dicitur: Ego
 doceo te, et ideo non oportet in doctrina hec exprimere.

M166va [A13-B13] Ad secundum dicendum quod, licet sit tanta | uirtus
 unius persone sicut trium, non tamen est ita sufficiens protestatio fidei
V83ra | expressa una persona tantum sicut expressis omnibus; uocalis autem 100
 expressio requiritur in forma sacramentorum; *idcirco* etc.

<QUESTIO SECVNDA

VTRVM CIRCA FORMAM BAPTISMI POSSIT
 ALIQVID IMMVTARI SALVO SACRAMENTO>

[A1-B1] Secundo queritur utrum circa formam baptismi possit ali-
 quid immutari saluo sacramento. Et uidetur quod non, quia, sicut est 5
 in formis rerum naturalium, sic uidetur esse in formis sacramentorum;
 set facta transmutatione in formis rerum naturalium mutatur natura
 rei (forme enim rerum sunt sicut numeri, in quibus facta quacumque
B28ra mutatione mutatur species, | ut dicitur VIII *Metaphisice*); ergo
 similiter in formis sacramentorum facta quacumque mutatione circa 10
 formam sacramenti mutatur natura sacramenti.

[A2-B2] Item forma se habet principalius ad naturam rei quam ma-
 teria; set circa materiam baptismi nichil potest mutari quin frustretur
 baptismus (non enim potest fieri nisi in aqua); ergo fortiori ratione
 circa formam nichil potest mutari absque frustratione sacramenti. 15

[A3-B3] In contrarium est quia alia forma utuntur Latini, alia Greci; et tamen utrique uere baptizant; ergo etc.

[A4-B4] Responsio. Circa mutationem forme baptismi duo sunt consideranda: unum ex parte mutantis, aliud ex parte forme que mutatur. Ex parte mutantis considerandum est an per mutationem | quam *L7rb* facit intendat inducere errorem, quia si hoc intendat, sacramentum frustratur. Cuius ratio est quia sacramenta habent uirtutem in fide Ecclesie, non persone; set intendens inducere errorem id quod facit non facit in fide Ecclesie, set potius contra fidem ex quo intendit inducere *M166vb* errorem; ergo talis non confert uerum sacramentum. Si uero | non intendat inducere errorem, tunc solum considerandum est qualis mutatio fiat in forma uerborum. Potest autem fieri mutatio in uerbis sex modis, scilicet uocum uariatione, additione, subtractione, corruptione, transpositione et interruptione.

30 [A5-B5] Quantum ad primum sciendum quod uariatio uocum potest fieri dupliciter, scilicet quoad uoces solum et non quoad principalia significata, uel quoad uoces et significata simul. Prima mutatio non

obest sacramento. Cuius ratio est quia uerba sacramentorum habent
V83vb efficaciam | ex eo quod significant; manente ergo eadem significatione 35
 uocum manet eadem uirtus sacramentorum. Qualiscumque ergo uari-
 riatio fiat circa uoces, si maneant eadem significata, semper est uerum
 sacramentum. Alioquin non possent sacramenta conferri nisi in ser-
 mone Hebraico, in quo forme sacramentorum fuerunt a Christo insti-
E8vb tute. Nunc autem potest conferri quodcumque sacramentum | in qua- 40
 cumque lingua Hebraica, Greca, Latina et etiam in omni alia materna.
 Si uero fiat uariatio uocum et significatorum simul, siue fiat totaliter
 uel principaliter, nullum est sacramentum. Et primum quidem de se
 planum est. Si enim nutrix immergendo puerum diceret: “Ego balneo
Na68va te ut melius possis dormire”, | nullus esset baptismus propter totalem 45
 mutationem significatorum. Similiter est, si fiat mutatio significato-
 rum quantum ad principalia significata; si enim dicatur: “Ego baptizo
 te in nomine Trinitatis” uel “in nomine genitoris, geniti et procedentis”,
 non est uerus baptismus, quia nomen Trinitatis non significat perso-
P93rb nas diuinas, set numerum personarum, genitor | uero, genitus et proce- 50
 dens, licet dent intelligere personas diuinas, tamen non significant eas
M167ra principaliter, set *actus notionales* | earum. | Causa autem horum est quia
K7va uirtus sacramentalis data est uerbis principaliter significantibus ea que
 sunt de integritate sacramenti.

[A6-B6] De additione uero notandum est quod aut est corrumpens
55 uerum sensum uerborum aut non. Si sit corrumpens, tunc nullum est
sacramentum, ut si dicatur: “Baptizo te in nomine Patris maioris et
Filii minoris” etc., quia ista determinatio corrumpit fidem Ecclesie,
in qua dantur sacramenta. Si uero sit talis additio que non corrumpat
debitum sensum uerborum sacramenti, non tollitur sacramentum, ut
60 si aliquis dicat “Ego baptizo te in nomine Patris omnipotentis et Filii
eius unigeniti et Spiritus Sancti paracliti”. Et fortiori ratione est hoc
uerum, quando talis additio fit in principio uel in fine, ut si dicatur:
“Beata uirgo te adiuuet, et ego baptizo te” etc. uel “Ego baptizo te” etc.
et in fine dicatur: “Beata uirgo te adiuuet”, uerus est baptismus. Si uero
65 diceretur: “Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et
beate Marie uirginis”, non esset baptismus, si intelligatur “in nomine
beate uirginis” sic baptizari sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus
consecratur, quia talis sensus esset contrarius uere fidei et per conse-
quens tolleretur ueritatem sacramenti. Si uero intelligatur quod additur

“in nomine beate uirginis”, non quod nomen beate uirginis aliquid operetur in forma baptismi, set ut eius intercessio prosit baptizato, non tollitur perfectio sacramenti. Quia tamen iste sensus est improprius, nullo modo est istud uel aliud simile faciendum. 70

[A7-B7] De subtractione uero breuiter sciendum est quod, si subtrahatur aliquid de essentia forme, tollitur | sacramentum; si uero tollitur aliquid | quod non est de essentia forme, nichilominus remanet perfectum sacramentum. Vnde si a forma baptismi tollatur “ego” et a forma sacramenti eucharistie tollatur “enim”, cum hec sint de forma solum ex institutione Ecclesie, non propter hoc tollitur sacramentum; quicquid autem aliud tolleretur, sacramentum esset nullum. 75 80

[A8-B8] Idem dicendum est de corruptione uerborum, quia si sit talis quod tollat perfectum sensum uerborum, quod fit maxime quando est corruptio in principio dictionis, ut si mutetur prima syllaba de hoc quod est “patris”, et loco eius dicatur “matris”, totaliter tollitur sensus dictionis, tunc tali corruptione uerborum corrumpitur sacramentum. 85
Si uero sit talis corruptio que non mutet perfectum sensum uerborum, que fit maxime in fine dictionis, ut si uetula uel aliquis ignarus lingue Latine infringendo linguam diceret: “Baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritus sancta”, nichilominus | esset uerum sacramentum, sicut habetur De consecr. dist. 4 c. *Retulerunt*. 90

[A9-B9] Consimiliter est dicendum de tertia mutatione, que fit per transpositionem uerborum. Non uideo tamen quod in forma baptismi possit fieri aliqua transpositio uerborum que sit contraria uero sensui, siue dicatur: “In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizo te”,
 95 siue in nominatione personarum fiat transpositio earum, ut si dicatur: “In nomine Spiritus Sancti, Filii et Patris”, quia licet de fide non solum sit numerus personarum, set etiam ordo earum, ille tamen ordo non est durationis uel uocalis expressionis, set solum originis, | qui suffi-
 100 cienter in nominibus personarum intelligitur qualicumque ordine per-
 sone exprimentur. *E9ra*

[A10-B10] Quantum autem ad interruptionem dicendum est quod si interruptio | sit tanta quod discontinuet | intentionem ministri totaliter, tollitur sacramentum, alias non. In omnibus autem istis mutationibus sciendum est quod quicumque scienter et sponte mutat aliquid
 105 circa formam sacramentorum peccat grauiter, etiam si talis mutatio sacramentum non tollat, excepta illa mutatione que est per uariationem tantum uocum, de qua primo dictum est. *M167va*
Na68vb

[A11-B11] Ad argumenta: ad primum dicendum quod, sicut uariatio formarum substantialium quoad essentialia uariat naturam rei, non autem uariatio earum quantum ad accidentalia, sic uariatio circa formas sacramentorum quantum ad essentialia tollit sacramentum et nulla alia. 110

[A12-B12] Ad secundum dicendum quod circa materiam baptismi potest fieri mutatio in accidentibus, utpote quod aqua sit calida uel frigida, non autem in essentialibus; oportet autem quod semper fiat in aqua retinente naturam et speciem aque. Et eodem modo dicendum est de mutatione circa formam. 115

K7vb [A13-B13] Per idem patet ad argumentum alterius partis, quia mutatio forme baptismi inter Latinos et Grecos non est quantum ad aliquid quod sit de essentia forme. 120

<QVESTIO TERTIA

VTRVM PLVRES POSSINT SIMVL BAPTIZARE VNVM>

[A1] Tertio queritur utrum plures possint simul baptizare unum. Et uidetur quod sic, quia *difficilius est quod unum agens*
 5 *agat in plura quam quod plura agentia agant in unum; set unus homo potest simul plures baptizare; ergo fortiori ratione plures possunt simul baptizare unum.*

[A2] Item *baptismus est sacramentum maxime necessitatis; set in aliquo casu ostenditur esse necessarium quod plures baptizent*
 10 *unum, puta si aliquis paruulus esset in articulo mortis et adessent duo quorum unus esset mutus et alter mancus, neuter istorum solus posset baptizare, quia mutus non posset uerba proferre et mancus non posset immergere, quorum utrumque necessarium est ad baptismum; ergo oporteret quod alter eorum solum uerba*
 15 *proferret, alter uero solum immergeret, et sic duo baptizarent eundem; quare etc.*

[A3] In contrarium est <quia> *unius agentis una est actio; set baptismus est actio baptizantis; ergo si plures baptizarent unum, plures essent baptismi, quod est contra illud quod dicitur Ep h. 4:*
 20 *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.*

[A4] Item sicut est in generatione carnali, sic in regeneratione spirituali, que est baptismus; set in generatione carnali sic est quod plures patres carnales non possunt esse unius filii; ergo in baptismo, qui est regeneratio spiritualis, plures non possunt
 25 regenerare unum; quare etc.

[A5] Responsio. Quod duo baptizent unum, potest intelligi dupliciter: uno modo quod neuter totum faciat, set quilibet

partem, utpote quod unus proferat uerba et alter immergat; alio modo quod uterque faciat totum, ita scilicet quod uterque proferat uerba et immergat uel aspergat puerum.

deest 38

30

[A6] Quantum ad primum modum dicendum quod unus non potest baptizari a duobus. Cuius ratio est quia ipsa forma uerborum baptismi includit quod ille idem qui profert uerba abluat baptizandum (dicit enim: *Ego baptizo te*, quod idem est quod “abluo te”); set hoc non obseruatur, quando unus profert uerba et alter abluit; ergo in tali modo baptizandi non habet locum forma baptismi, propter quod nichil fit.

35

[A7] Quantum ad secundum modum est duplex opinio: una que dicit quod nullo modo duo possunt <simul> baptizare, propter duo. Primum est quia actus qui ab uno agente expleri potest non progreditur a pluribus simul iunctis, set unus solus potest baptizare; ergo plures non possunt ad eundem baptizandum concurrere. Secundum est quia mutata forma baptismi non uidetur quod sit uerus baptismus; set quando duo baptizant unum dicentes: “Nos baptizamus te”, mutatur forma baptismi (forma enim baptismi est: *Ego baptizo te*; ista autem “Nos baptizamus” non resoluitur in istas: “Ego baptizo” et “Ego baptizo te”, set in istas: “Ego baptizo” et “Ille baptizat”; et utrobique est mutatio forme); ergo non est uerus baptismus.

40

45

[A8] Quicquid sit de conclusione, rationes iste non cogunt. Prima non, quia licet in agentibus per naturam actus qui potest expleri per unum non possit progredi a pluribus simul iunctis, uel si iungantur, perfectior est effectus duorum quam unius, ut patet de duabus candelis illuminantibus domum, que causant lumen intensius quam faceret altera solum, tamen in agentibus per uoluntatem uidemus contrarium: duo enim <non semper> trahunt fortius nauem quam unus solus posset trahere, quia talia

50

55

non agunt quantum possunt, set quantum uolunt. Sic est de
 duobus baptizantibus, quia non ex necessitate nature, set per
 60 uoluntatem et libere administrant sacramentum. Et hec ratio
 sufficiens est, si in rebus sacramentalibus non sit subiectiue
 aliqua uirtus, set tantum uirtus diuina assistat sacramentis | ex
 pactione ad causandum effectum sacramenti, quia tunc eadem
 uirtus est non multiplicata neque intensa que causat effectum
 65 sacramenti, siue ministretur ab uno siue a pluribus. Et ideo
 non oportet baptismum uel eius effectum esse perfectiorem qui
 confertur ab uno quam si conferretur a pluribus. Si uero in sa-
 cramentis sit subiectiue aliqua uirtus, tunc dicta responsio non
 ualet, quia licet minister uoluntarie applicet formam baptismi
 70 ad materiam et ad baptizandum, tamen uirtus que est in uerbis
 et rebus sacramentalibus ex necessitate operatur; propter quod
 talis uirtus multiplicata habet perfectiorem effectum quam sim-
 pla, et ideo plurificatis uerbis sacramentalibus et per consequens
 uirtutibus existentibus in eis sequeretur quod talis baptismus et
 75 eius effectus esset perfectior quam si esset ab uno solo, quod est
 inconueniens. Quia tamen primam opinionem de uirtute sa-
 cramentorum ueriorem reputo, idcirco puto solutionem prime
 rationis esse sufficientem.

[A9] Secunda ratio nichil cogit, quia mutatio forme bap-
 80 tismi quantum ad illud quod non est de necessitate forme non
 euacuat sacramentum; nunc est ita quod expressio baptizantis
 secundum quamcumque personam primam, secundam et ter-
 tiam non est de necessitate baptismi (alioquin Greci non uere
 baptizarent, ut dictum fuit in precedenti questione); ideo muta-
 85 tio forme quantum ad hoc in nullo obest sacramento.

[A10] Alia opinio est quod duo baptizantes unum aut utun-
 tur pari forma, quia quilibet dicit: *Ego baptizo te*, aut quilibet

deest 8

V83rb

dicit: “Nos baptizamus te”. Si primo modo, qui *potest contingere in eo casu in quo contentiose uterque aliquem baptizare* uellet, aut proferunt <uerba> simul et simul immergunt, aut unus prius et alius posterius. Si unus prius, ille totum facit, posterior autem nichil, set est *puniendus* sicut iterator baptismi. Si uero *simul uerba* proferant et immergant, sic est uerus baptismus, licet baptizantes sint *puniendi* pro temeritate sicut transgressores consuetudinis Ecclesie. Cuius ratio est quia aut uterque baptizat aut neuter aut alter et alter non. Non potest dici quod neuter baptizet, quia concurrentibus omnibus que sunt de necessitate sacramenti est uerum sacramentum; set hic omnia concurrunt que sunt de necessitate baptismi, scilicet minister, forma, materia et baptizandus; ergo est uerus baptismus. Nec potest dici quod alter baptizet et alter non, cum uterque similiter se habeat ad baptizandum. Restat ergo quod uterque; non tradunt tamen *aliud et aliud sacramentum, set Christus, qui est unus interius baptizans*, confert *per utrumque unum* et eundem baptismum.

[A11] Si secundo modo, scilicet quod uterque utatur hac forma: “Nos baptizamus te” etc., sic dicunt quod non est uerus baptismus. Quod probant, quia *homo non baptizat nisi ut minister Christi et eius uicem gerens; set Christus est unus; ergo oportet ministrum, qui Christum representat, esse unum. Propter quod signanter dicit APOSTOLVS Ep h. 4: Vnus Dominus, una fides, unum baptisma; set cum dicitur “Nos baptizamus te”, talis intentio exprimitur sic quod plures ut plures conueniunt ad unum baptismum conferendum, quod uidetur esse contra rationem ministerii, et ideo contraria intentio uidetur excludere sacramentum.*

[A12] Primum istorum puto uerum esse; set secundum est dubium, quia aut oportet ministrum baptismi esse tantum unum realiter loquendo, aut oportet quod quilibet minister exprimat se ut unum. Si primum dicatur, contradicit primo dicto

deest 23

90

95

100

105

110

115

120 eorum, quo dicunt quod plures possunt eundem baptizare, si
 quilibet eorum dicat: *Ego baptizo te* etc. Si secundum dicatur,
 non est rationabile: primo, quia non est de necessitate sacra-
 menti quod minister exprimat, ut patet ex forma Grecorum,
 qui uere baptizant; ergo non oportet quod minister exprimat,
 nec singulariter nec pluraliter.

125 [A13] Secundo, quia si oportet ministrum exprimi secun-
 dum congruentiam ad principale agens, tunc, cum minister
 baptismi non sit minister tantum Christi, set trium personarum
 in Trinitate, ut patet ex forma baptismi (non enim dicit bap-
 tizans: “Ego baptizo te in nomine Christi”, set *in nomine Patris et*
 130 *Filii et Spiritus Sancti*), congruentius esset quod exprimeretur in
 plurali quam in singulari.

[A14] Tertio, quia modus exprimendi ministrum per mo-
 dum unius uel plurium nichil uidetur facere ad sacramentum,
 dummodo exprimat principale agens in cuius uirtute agit mi-
 135 nister (sic enim excluditur omnino error qui <ex> expressione
 ministri posset contingere); hoc autem fit in forma baptismi,
 cum dicitur: *In nomine Patris* etc.; ergo non est uis qualiter-
 cumque exprimat persona ministri.

140 [A15] Potest ergo probabiliter teneri quod esset uerus bap-
 tismus, si plures essent baptizantes dicendo: “Nos baptizamus
 te” etc.

[A16] Ad rationes in oppositum. Ad primam dicendum
 quod plurium agentium sunt plures actiones quando quodlibet
 agit in subiectum distinctum; quando uero plura agunt simul in
 145 unum subiectum, tunc est una actio tantum, ut patet de duobus
 trahentibus unam nauem. Et idem est de duobus baptizantibus
 unum et eundem.

[A17] Ad secundum dicendum quod secundum generatio-
 nem carnalem plures non possunt concurrere simul ad gene-

deest 38

V83va

randum eundem et ideo secundum talem generationem aliquis non potest habere plures patres; set secundum generationem spiritualem plures possunt concurrere ad regenerandum unum <et> eundem nec oportet quod sit per omnia similitudo hinc et inde.

deest 23

[A18] Ad argumenta similiter alterius partis patet responsio ex dictis in corpore solutionis.

155

<QUESTIO QVARTA

VTRVM BAPTISMVS DEBEAT FIERI IN AQVA>

B28ra [A1-B1] Deinde queritur de materia baptismi utrum baptismus debeat fieri in aqua. Videtur quod non, quia per baptismum conformamur sepulture Christi, sicut dicitur | Ro m . 6: *Consepulti enim estis in illo per baptismum in mortem*; set sepultura non fuit in aqua, set in terra; ergo baptismus non debet fieri in aqua, set in terra.

P93va 5

[A2-B2] Item similes effectus sunt a similibus causis; set baptismus et circumcisio habent similem effectum; ergo debent consistere in similibus rebus; set circumcisio non fiebat in aqua; ergo nec baptismus. 10

M167vb [A3-B3] In contrarium est quod dicitur I o h . 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua | et Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei.*

[A4-B4] Responso. Videnda sunt duo: primum est an baptismus
 15 debeat fieri in aqua; secundum est de modo, scilicet an debeat fieri per
 immersionem uel per aspersionem seu supereffusionem.

[A5-B5] Quantum ad primum sciendum est quod principalis causa
 quare baptismus fiat in aqua est diuina institutio, sicut in omnibus ali-
 is que essentialiter pertinent ad sacramentum. Potest tamen triplex
 20 ratio congruentie assignari quare aqua sit conueniens materia baptismi:
 prima ex eo quod baptismus est remedium contra originale peccatum;
 secunda ex eo quod est primum sacramentum; tertia ex eo quod est
 sacramentum maxime necessarium.

[A6-B6] Prima ratio talis est: illa est conuenientissima materia sa-
 25 cramenti que habet maximam conuenientiam cum effectu sacramenti;
 set aqua habet maximam conuenientiam cum effectu baptismi; ergo
 etc. Maior patet, quia sacramenta ex similitudine representant secun-
 dum HVGONEM lib. De sacramentis. Minor | probatur, quia ef-
 30 fectus baptismi est ablutio originalis peccati et refrigeratio fomitis seu
 mitigatio; hiis autem duobus effectibus maxime conuenit aqua ratione
 duarum qualitatum quas habet, que sunt humiditas et frigiditas (ratio-
 ne humiditatis est maxime ablutiva et per hoc representat | ablutio-
 35 nem originalis peccati; ratione frigiditatis est caloris extinctiva uel mitiga-
 tiua et per hoc representat mitigationem fomitis); quare etc.

[A7-B7] Ex secundo | sumitur talis ratio: per baptismum regene-
 35 ramur ad esse spirituale, sicut per generationem carnalem accipimus

*L9vb**V84rb**Z155va*

esse carnale. Ex hoc arguitur sic: regeneratio debet correspondere generationi; set ad generationem uiuentium maxime confert aqua materialiter, ut patet ex XVII De animalibus; | ergo ad generationem spiritualem requiritur aqua ut materia.

[A8-B8] Ex tertio sumitur talis ratio: in sacramento maxime necessitatis debet materia maxime esse communis ne aliquem excuset inopia; set baptismus est sacramentum maxime necessitatis, cum sit remedium paruulorum, qui sibi subuenire non possunt; aqua autem est maxime communitatis (inuenitur enim ubique et quasi pro nichilo); ergo aqua est conuenientissima materia baptismi. Dico autem
 40
 45
Na69ra de aqua | elementari, que solum est aqua proprie dicta; in aliis autem aquis, que non habent naturam et speciem aque elementaris, non potest fieri baptismus, ut sunt aque facte per sublimationem, ut roseacea
E9rb uel quecumque alia simili modo facta, et alie que | dicuntur aque, licet secundum ueritatem sint humores a mixtis corporibus defluentes, ut
 50
 55
 lacrima uitis uel quicumque alius humor resolutus ab arboribus uel aliis corporibus mixtis.

[A9-B9] Quantum ad secundum dicendum est quod de necessitate baptismi non est quod fiat per immersionem, set potest fieri per aspersionem uel supereffusionem, congruentius tamen fit per immersionem et per trinam magis quam per simplam. Primum patet, quia,

cum baptismus secundum nomen suum sit quedam *ablutio*, unde et
 sic diffinitur per *MAGISTRVM* in littera, illud est solum in sacramento
 de necessitate baptismi quod est de necessitate ablutionis; set de ne-
 60 cessitate ablutionis non est quod fiat immergendo, immo potest fieri
 aspergendo uel superinfundendo; ergo etc. Ex Scriptura etiam patet
 quod in primitiua Ecclesia datus est baptismus per aspersionem, quia
 quandoque uno die baptizati sunt tria milia, ut habetur *Act. 2*, quod
 non potuit | fieri per paucos homines, ut erant Apostoli, si factum *M168rb*
 65 fuisset per cuiuslibet immersionem. Secundum patet, quia per bap-
 tismum conformamur sepulture | Christi, ut dictum est (ex quo etiam *K8ra*
 prouenit nobis plena remissio peccatorum, ut infra patebit); set hec
 conformitas magis est per immersionem quam per aspersionem et ma-
 gis per trinam quam per simplam propter triduum sepulture Christi;
 70 ergo congruentius est quod baptismus fiat per trinam immersionem
 quam alio modo. In hiis tamen seruandus est mos Ecclesie, sicut dicit
GREGORIUS, et habetur | *De consecr. dist. 4 c. De trina immersione.* *P93vb*
 Canones autem qui inducunt trinam fieri, sicut ille *De consecr.*
 dist. 4 *Si quis presbyter*, et si qui alii sunt consimiles, non respiciunt
 75 id quod est de necessitate sacramenti, set id quod est de consuetudine

loci uel de congruitate extrinsece representationis. Canon autem, qui precipit simplam fieri, ut est ille qui habetur *De consecr.* dist. 4 *Propter uitandum* etc., similiter non dicit quod est de necessitate sacramenti, set damnat errorem illorum qui dicunt quod necessarium est trinam fieri, unde dicit sic: *Propter uitandum scismatis scandalum uel heretici dogmatis usum simplam teneamus baptismi immersionem.* 80

[A10-B10] Ad argumenta: ad primum dicendum quod representatio sepulture Christi non est de necessitate sacramenti, set solum de congruitate, cum sit res extrinseca et *non contenta*; significatio enim sacramentorum per se respicit effectum contentum, cui in baptismo | 85
V84va magis respondet aqua | quam terra.
L8ra

[A11-B11] Ad secundum *dicendum quod neque circumcisio neque baptismus* conueniunt in hoc quod *tollunt* originale peccatum *ex naturali uirtute ipsarum | rerum, set inquantum significant aliquid spirituale,* 90
M168va *in qua significatione* conuenit aqua baptismi *cum instrumento circumcisionis, quia* per utrumque *fit alicuius ablatio*: per instrumentum circumcisionis ablatio preputii superflui, per aquam uero ablatio sordium corporis, per quorum utrumque significatur sufficienter ablatio originalis peccati.

<DISTINCTIO QVARTA
QVESTIO PRIMA
VTRVM CARACTER SIT ALIQVID IN ANIMA>

[A1] *Hic dicendum est aliquos suscipere sacramentum et* etc. Circa distinctionem istam queritur utrum character sit aliquid in anima. Et uidetur quod non, quia omne quod est in anima est potentia uel actus uel habitus, ut dicitur II *Ethicorum*; set character non est potentia nec actus nec habitus; ergo etc. Minor probatur: quod enim non sit potentia, manifestum est, quia 10 potentie insunt hominibus a natura, character autem non est in omnibus et in quibus est non est a natura; ergo non est potentia.

Item nec actus, quia actus transeunt nec manent in dormientibus, character autem dicitur manere indelebiter. Nec est habitus, quia per habitum ordinamur ad actum non simpliciter, 15 set determinate secundum bene uel secundum male, bene secundum bonum habitum, male secundum malum; set per characterem non dicimur ordinari ad actum determinate secundum bene uel secundum male, set indifferenter ad utrumque, quia character indifferenter est in bonis et malis; ergo character non est 20 habitus.

[A2] *Item sicut per sacramenta noue legis distinguuntur fideles ab infidelibus, ita distinguebantur per sacramenta ueteris legis;*

deest B

set sacramenta ueteris legis non imprimebant in anima aliquem characterem; ergo nec sacramenta noue legis.

[A3] In contrarium est *DAMASCENVS*, qui *in diffinitione baptismi ponit sigillum; set sigillum impressum in aliquo est quidam character; ergo etc.*

[A4] Responsio. *Omnes MODERNI confitentur imprimi characterem in aliquibus sacramentis, et nos loquentes ut plures dicamus cum eis characterem non nichil esse. Quid autem sit, inuestigandum est primo, deinde in quo sit.*

[A5] De utroque autem est duplex opinio, sicut est de uirtute existente in sacramentis, de qua dictum fuit prius dist. 1. Illi enim qui dicunt quod in sacramentis sit aliqua uirtus subiectiue dicunt etiam quod character in ministro est quedam uirtus uel potentia per quam regenerati in uita spirituali operantur diuinas actiones per ministerium. Et istud probatur tripliciter. Primo sic: cuicumque insunt aliquae operationes insunt principia illarum operationum; set regenerati in uita spirituali habent aliquas operationes, sicut cuiuslibet rei naturalis est aliqua operatio, ut uult *DYONISIVS 2 cap. Ecclesiastice ierarchie*; ergo sicut rebus naturalibus insunt principia suarum operationum naturalium, sic regeneratis in Christo insunt quedam principia suarum operationum diuinarum et supernaturalium, hoc est character. Secundo sic: illa forma que ordinatur ad operationem absolute et non secundum determinationem ad bene uel male habet

deest 28

25

30

35

40

45

rationem potentie; set character est huiusmodi; ergo etc. Minor probatur, quia per characterem sacerdotalem sacerdos ordinatur absolute ad conficiendum corpus Christi et non secundum bene
 50 uel male; ergo character sacerdotalis est quedam potentia. Tertio sic: sicut ad integritatem sacramenti pertinet forma et materia, sic et minister; cum igitur in rebus sacramentalibus ponatur aliqua uirtus instrumentaliter operans ad effectum sacramenti, uidetur quod in ministro sit aliqua talis uirtus ponenda, et hanc
 55 uocamus characterem. Sic ergo dicunt ISTI quid sit character.

[A6] In quo autem sit ponendus, dicunt quod in anima, non in essentia, set in potentia, non quacumque, set intellectiua. | Primum probatur sic: naturalia proportionabiliter substernuntur spiritualibus. Ex hoc sic arguitur: *sicut se habet esse supernaturale*
 60 *ad esse naturale, sic posse supernaturale ad posse naturale; set gratia, que dat esse spirituale, est in essentia anime, que dat esse naturale; ergo character, cuius est posse supernaturale, debet esse in potentia cuius est posse naturale.* Secundum patet, scilicet quod sit in potentia intellectiua, quia character debet poni in illa potentia que
 65 est pars potior imaginis, quia per characterem conformamur Deo, ut sicut ipse operatur diuina per auctoritatem, sic nos ratione characteris operemur diuina per ministerium; set intellectus est potior pars imaginis (uoluntas enim ad eam non pertinet, nisi quatinus sequitur intellectum); quare etc. Item perfectio debet
 70 correspondere perfectibili; set per intellectum homo est homo

deest 8

V84vb

absolute, per uoluntatem autem habet quod sit bonus uel malus; cum ergo per characterem ordinetur homo ad aliquid absolute et non secundum bene uel male, conuenientius est quod character ponatur in intellectu quam in uoluntate.

B28rb

[A7] Set | circa opinionem istam sunt duo dubia: primum est quod character sit principium operationis spiritualis, sicut gratia est principium esse uel uite spiritualis; secundum est quod character est in potentia intellectiua sicut gratia in esse anime. Contra primum arguitur sic, quia destructo principio uite naturalis destruitur principium operationis naturalis; ergo similiter in uita spiritali destructo principio essendi uel uiuendi destruitur principium operandi; set destructa gratia non destruitur character, immo ponitur manere in peccantibus mortaliter; ergo character et gratia non se habent sicut principium essendi et operandi in uita spiritali. Item illud in operationem non potest in quo non est principium operationis (alioquin ageret quod non posset); set aliquid in quo non est character potest in operationem diuinam, ut nunc loquimur (iudeus enim uel gentilis nullum habens characterem potest baptizare, quod est opus diuinum); ergo character impressus ex sacramento non est principium talium operationum.

[A8] Contra secundum, scilicet quod character sit in potentia intellectiua, arguitur dupliciter. Sic primo, quia character non ponitur in ministro, nisi ut sit agens instrumentale respectu sacramenti, sicut sunt res sacramentales; uidetur ergo quod character sit ponendus in ministro quoad id in quo magis conuenit cum rebus sacramentalibus; set minister ore uel lingua profert uerba sacramentalia, cum manu uero applicat materiam ad illum qui suscipit sacramentum; ergo character, si sit talis potentia, magis debet poni in ore uel lingua et manu quam in aliqua spiritali

deest B

75

80

85

90

95

100

potentia, quia et res sacramentales, in quibus secundum istos
 ponitur similis uirtus, sunt quedam res corporales. Secundo sic:
 si caracter sit in intellectu, aut perficit ipsum in se absolute aut
 in ordinem ad aliquam operationem. Si in se et absolute, tunc
 105 caracter esset principium alicuius operationis, quod esset contra
 eos; si uero in comparatione ad operationem, aut ad operatio-
 nem elicitam, que est intelligere, aut ad operationem imperatam,
 que est ministrare sacramenta; non ad operationem que est intel-
 ligere, quia non aliud nec melius intelligit sacerdos post ordina-
 110 tionem suam, in qua dicitur recipere caracterem, quam ante; nec
 ad operationem imperatam que est ministrare sacramenta, quia
 nichil existens in potentia aliqua perficit ad operationem impera-
 tam nisi perficiendo ipsum ad operationem elicitam, sicut caritas
 non perficit ad opus exterius imperatum a uoluntate nisi perfi-
 115 ciendo uoluntatem ad opus elicatum quod est uelle. Cum igitur
 caracter non perficiat intellectum respectu operationis elicite que
 est intelligere, ut dictum est, consequens est quod non perficiat
 ipsum ad operationem extrinsecam imperatam; nullo ergo modo
 uidetur quod caracter sit in potentia intellectiua.
 120 [A9] Secunda opinio est ILLORVM qui dicunt quod in sa-
 cramentis | non est aliqua uirtus subiectiue, immo sacramenta
 sunt causa gratie uel cuiuscumque alterius effectus existentis in
 anima, non quecumque, set per accidens et sine qua non per
 modum qui dictus est supra dist. 1. Et ISTI dicunt quod caracter
 125 non est aliqua natura absoluta, set est sola relatio rationis, per
 quam ex institutione uel pactione diuina deputatur aliquis ad
 sacras actiones. Quod declaratur sic: sicut nummus sortitur
 rationem pretii et merellus rationem signi ex humana institu-
 130 tionem, sic res naturales sortiuntur rationem sacramenti et homo
 rationem ministri ex diuina institutione; set nummus efficitur

deest 3*V85ra*

pretium et merellus signum per solam relationem rationis humane sic instituentis; ergo res sacramentales sortiuntur rationem sacramenti et homo rationem ministri per solam rationem relationis diuine sic instituentis. Cum igitur character sit id quo homo efficitur minister sacramentorum uel susceptiuus eorum, patet quod character non est nisi relatio rationis ex ordinatione uel pactione diuina.

[A10] Et secundum hanc opinionem responderi potest ad rationes alterius opinionis. Cum enim dicitur quod homo potest in operationem supernaturalem, ergo habet aliquam potentiam supernaturalem, quam dicimus characterem, dicendum quod homo non potest in operationem supernaturalem, neque principaliter neque instrumentaliter directe et per se, set solum per accidens et ut causa sine qua non, et ideo operatio illa non est per uirtutem in homine existentem uel in rebus sacramentalibus, set solum per uirtutem diuinam assistentem.

[A11] Ad auctoritatem DAMASCENI que principaliter inducitur, dicendum est quod sigillum uel signum baptismale <aut> uocatur id quod exterius geritur aut gratia interior que confertur aut deputatio baptizati ex ordinatione diuina ad susceptionem sacramentorum.

[A12] Argumenta alterius partis: licet sint solubilia, puto tamen quod conclusio eorum uera sit.

deest 38

135

140

145

150

<QVESTIO SECVNDA

VTRUM BAPTISMVS DELEAT OMNEM CVLPAM ET PENAM>

[A1-B1] *Secundo* queritur utrum baptismus deleat omnem culpam et penam. Arguitur quod non omnem culpam, set tantum originalem, 5 quia *regeneratio spiritualis* opponitur *carnali*; set per *generationem carnalem solum* contrahitur *peccatum originale*; ergo per *baptismum*, qui est regeneratio spiritualis, non tollitur nisi *peccatum originale*.

[A2-B2] Item si baptismus de se tolleret peccatum actuale in adultis baptizatis, non esset necessaria penitentia, que ordinatur contra actua- 10 le; est autem necessaria, ut patet Act. 2, ubi dicitur: *Penitentiam agite et baptizetur unusquisque uestrum*; et AVGVSTINVS dicit Libro de penitentia, et recitatur De consecr. dist. 4: *Omnis quicumque iam sue uoluntatis arbiter constitutus est, cum | accedit ad sacramentum,* 15 baptismus non sufficit ad delendum omne peccatum.

[A3-B3] Item quod baptismus non deleat omnem penam, probatur sic: si baptismus | deleteret omnem penam, maxime deleteret penam <pec-

Na69rb

E9va

Z155vb
 M168vb
 cati> originalis, contra quod precipue ordinatur; set illam non delet,
 ut probatur; ergo nullam. Probatio | minoris: fames, sitis, passibilitas
 et repugnantia uirium sensitiuarum ad rationem sunt pene originalis | 20
 peccati; set ista non amouentur per baptismum, ut quilibet experitur
 in se ipso; ergo etc.

[A4-B4] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS in ENCHIRIDION, et habetur DE CONSECR. dist. 4: *A paruulo recenter nato usque ad decrepitem senem, sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur; set paruuli tantummodo originali, maiores autem omnibus moriuntur peccatis, que male uiuendo addiderunt.* 25

[A5-B5] Item AMBROSIVS super illud ROM. 11 *Sine penitentia sunt dona Dei et uocatio*, dicit sic: *Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum, set omnia gratis condonat.* | Ex quibus auctoritatibus patet quod omnis culpa dimittitur in baptismo gratis et absque ulla pena. 30

[A6-B6] Responsio. Dicendum quod baptismus in digne suscipientibus baptismum tollit omnem culpam originalem et actuaalem. Tollit etiam omnem penam per se peccato debitam quoad forum Dei. 35
 Primum patet quantum ad originale peccatum et actuale mortale sic:

omne illud sacramentum | per quod per se et directe regeneramur ad
 spiritualement uitam tollit omnem dispositionem spirituali uite incom-
 possibilem; set baptismus est sacramentum per quod regeneramur in
 40 spiritualement uitam, ut dicitur Tit. 3: *Per lauacrum regenerationis* etc.;
 ergo baptismus quantum est de se tollit omnem dispositionem incom-
 possibilem spirituali uite; set peccatum actuale mortale eque uel plus
 est impossibile spirituali uite, que est per gratiam, sicut originale;
 ergo baptismus eque tollit utrumque.

45 [A7-B7] Item patet auctoritate AVGVSTINI Libro | de bap-
 tismo paruulorum, et recitatur | De consecr. dist. 4: Sicut de
*generante carnem tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante
 autem Spiritu Sancto non solum originalium, set uoluntariorum fit remis-
 sio peccatorum.* P94ra M169ra

50 [A8-B8] De peccato actuali ueniali potest idem persuaderi sic. *In
 omni generatione perfecta tollitur non solum dispositio impossibilis
 cum forma, set etiam omnis dispositio repugnans bene esse forme (quod
 enim aliqua talis dispositio maneat, hoc uenit uel ex imperfectione
 uirtutis agentis uel ex indispositione materie suscipientis; set quando
 55 baptismus confertur digne recipienti, tunc est spiritualis regeneratio*

L8rb perfecta, quia non est deffectus ex parte uirtutis diuine agentis in | sacramentis nec est indispositio ex parte suscipientis ex quo digne suscipit; ergo per baptismum tollitur omnis dispositio repugnans bene esse gratie, que est terminus spiritualis regenerationis. Peccatum autem ueniale, licet stet cum gratia, *repugnat tamen bene esse gratie*, quia disponit ad peccatum mortale, quod tollit gratiam; ergo per baptismum tollitur peccatum ueniale in digne suscipiente. Et sic patet primum. 60

[A9-B9] Secundum sic patet, scilicet quod per baptismum tollatur omnis pena per se debita cuicumque peccatorum: primo, quia per baptismum communicatur nobis plenissime uirtus passionis Christi, eo quod per baptismum maxime conformamur morti Christi, ut dicitur Ro m. 6: *Consepulti enim sumus* etc.; set passio Christi fuit sufficiens ad satisfaciendum pro penis omnium peccatorum; ergo per baptismum confertur nobis remissio peccatorum, non solum quoad 65

M169rb culpam, set quoad | omnem penam peccato debitam. Per baptismum enim efficimur membrum Christi ut sic passio corporis communicate- 70
tur membro ad remedium sanitatis, quantum sufficit ad plenam eius curationem. Secundo patet idem sic: intransibilibus nouum statum non

E9vb imputantur eis ad | penam commissa secundum statum | pristinum, 75
Na69va ut patet <in> intransibilibus religionem; set baptismus est sacramentum

infrantium religionem christianam, in qua sola est status salutis; ergo baptizatis non imputatur ad penam aliquid quod commiserint secundum conuersionem pristinam. Hoc autem intelligendum est quoad forum Dei, quia *iudicio humano non solum attenditur qua pena sit*
 80 *homo dignus quoad Deum, set etiam in qua sit obligatus quoad homines qui sunt lesi et scandalizati per peccatum. Et ideo licet homicida liberetur totaliter a reatu pene quoad Deum, remanet tamen obligatus quoad homines, quos iustum est edificari de pena, sicut sunt scandalizati de culpa. In talibus tamen princeps pie posset penam dimittere, maxime si signa*
 85 *euidencia apparent | quod homicida peteret baptismum ex deuotione fidei, non timore mortis.* V85va

[A10-B10] Ad primum argumentum, cum dicitur quod regeneratio spiritualis opponitur carnali generationi, falsum est, immo proportionatur, quia sicut per generationem carnalem acquiritur esse carnale,
 90 *ita per regenerationem spiritualem acquiritur esse spirituale. Verum est quod generationem carnalem concomitatur quidam deffectus, scilicet peccati originalis, qui opponitur termino regenerationis spiritualis, scilicet gratie, et hic tollitur per baptismum, et pari ratione mortale |* M169va
peccatum, quod similiter opponitur gratie baptismali.

[A11-B11] Ad secundum dicendum quod triplex est penitentia: 95
 prima que est sacramentum et consistit in actu exteriori confitentis
 et absoluentis, et ista non est necessaria baptizandis quantumcumque
 adultis, immo nec exhibenda, eo quod baptismus est ianua sacramen-
 torum, propter quod non baptizatis non est adhibendum aliquod sa-
 cramentum; secunda penitentia est contritio sufficiens informata gra- 100
 tia, secundum quam dicimus contritum esse penitentem, et ista non
 requiritur ante baptismum | (alioquin adultus baptizandus semper es-
 set ante baptismum iustificatus); tertia est quedam displicentia peccati
 commissi, licet informis et imperfecta, que dicitur attritio, que licet
 non sit sufficiens ad delendum peccatum, est tamen dispositio suffi- 105
 ciens ad suscipiendum baptismum eo quod tollit fictionem. Et de tali
 penitentia est intelligendum illud quod dicitur Act. 2 et illud quod
 dicit AVGVSTINVS in auctoritate allegata.

K8va
Z156ra

[A12-B12] Ad tertium dicendum quod per baptismum tollitur
 omnis pena originalis peccati, que est pena eius per se, sicut priuatio 110
 gratie in presenti et carentia glorie in futuro. Penam autem que debetur
 peccato originali per accidens non tollit, | ut est fames, sitis, passibilitas

P94rb

corporis et huiusmodi, quia ista sunt a natura per se, licet sint a peccato originali sicut a causa remouente prohibens, quia peccatum originale
115 tollit iustitiam originalem, que impediabat istos defectus inesse nature. Nec fuit conueniens ut isti defectus in presenti uita auferrentur:
primo ne membrum caput excederet (Christus enim, caput nostrum, a principio sue conceptionis plenus fuit gratia, habuit tamen corpus passibile, in quo | redemptionem nostram exercuit; similiter christianus *M169vb*
120 in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam, | corpus tamen manet passibile, in quo pro Christo pati possit); secundo ut homo *L8va*
pugnando contra concupiscentiam et alias passibilitates et uincendo mereatur coronam; tertio ne si baptismus conferret impassibilitatem corporis, homines quererent baptismum magis propter commoditatem
125 uite presentis quam propter fructum uite spiritualis.

<QVESTIO TERTIA
VTRVM RECEDENTE FICTIONE BAPTISMVS SVVM
CONSEQVATUR EFFECTVM>

[A1-B1] Tertio queritur utrum in ficte accedentibus ad baptismum
 recedente fictione baptismus suum consequatur effectum. Et uidetur 5
 quod non, quia contingit quod post baptismum, antequam fictio re-
E10ra cedat, baptizatus committat multa peccata mortalia; | recedente ergo
 fictione aut ista tollentur per baptismum cum aliis, aut alia sine istis,
 aut nec ista nec alia prius commissa tollentur. Non potest dici quod
 ista tollantur cum aliis, quia nec baptismus nec quodcumque sacra- 10
 mentum extendit se ad peccata committenda post sacramentum, set
 tantum ad prius commissa; nec potest dici quod alia tollantur sine
B28va istis, quia impium est a Deo dimidiam | ueniam expectare, et iterum
Na69vb quia precedentia | non possunt tolli sine gratia, que non staret cum
 sequentibus. Relinquitur ergo quod recedente fictione baptismus prius 15
 susceptus nullum habeat effectum.

V85vb [A2-B2] Item prolatis uerbis sacramentalibus | super panem et ui-
 num statim sacramentum habet suum effectum aut numquam; ergo

20 similiter in sacramento baptismi factis hiis que concurrunt ad integritatem ipsius aut tunc habet effectum suum aut numquam.

[A3-B3] In contrarium | est quod dicit AVGVSTINVS libro De bap-
tismo et recitatur De consecr. dist. 4: *Tunc ualere incipit baptis-* M170ra
mus ad salutem, cum illa fictio ueraci confessione recesserit, que corde in
malitia perseuerante peccatorum ablutionem non sinebat fieri.

25 [A4-B4] Responsio. Intelligendum est quod *fictus dicitur* aliquis,
cum *unum pretendit exterius et aliud intendit interius*. Et secundum
hoc aliquis potest esse dupliciter fictus respectu sacramenti: uno modo
respectu susceptionis sacramenti, *quia scilicet pretendit se uelle suscipere*
sacramentum et tamen non intendit; alio modo *est aliquis fictus*
30 respectu preparationis ad sacramentum, quia cum uelit suscipere sacra-
mentum, ipso facto ostendit se dispositum et paratum et tamen non
est, cum sit in proposito peccandi. Fictus primo modo nichil suscipit.
Cuius ratio est quia sicut ad sacramentum requiritur intentio ministri
ad conferendum, sic requiritur intentio suscipientis ut recipiat ipsum

uel propria, si sit adultus, uel aliena, si sit paruulus; set defficiente intentione ministri conferentis nullum est sacramentum, ut infra patebit; ergo defficiente intentione suscipientis nullum est sacramentum. Recedente ergo fictione nullus effectus sequitur, quia nichil prius fuit factum; talis ergo indiget baptizari, | quia numquam fuit baptizatus. 35

K8vb

[A5-B5] De ficto autem secundo modo, qui recipit sacramentum, cum quantum ad hoc non sit fictus, set non recipit sacramenti effectum, qui est gratia, cum ad eam non sit dispositus, est duplex opinio: una quod recedente fictione baptismus in isto habet totum suum effectum. Cuius ratio assignatur quia fictus secundo modo, cum recipiat baptismum, recipit characterem; character autem, quantum est de se, est 40

M170rb

dispositio necessitatis ad gratiam | nisi superueniat impedimentum prohibens eam, et istud est fictio in eo qui fecte accedit. Tunc ex hoc 45

50 sic arguitur: remota causa remouetur effectus; set causa quare ad baptismalem characterem non semper sequatur gratia, cum sit dispositio necessitatis ad eam, est fictio suscipientis baptismum; ergo ea recedente baptismus habebit suum totum effectum.

[A6-B6] Set contra hanc opinionem duplex dubium | est: unum *P94va*
 de conclusione, alterum de ratione probante conclusionem. Conclusio
 uidetur in se dubia, quia effectus in actu requirit causam in actu, ut
 55 dicitur II P h i s i c o r u m ; set in eo qui prius fecte recipit baptismum
 et postmodum recedit fictio non suscipitur actu baptismus; ergo non
 potest in eo esse aliquis effectus baptismi. Contra rationem positionis
 potest dupliciter argui, primo sic: dispositio necessitatis ad formam
 numquam potest stare cum opposito forme, quidquid sit | de dispo- *Z156rb*
 60 sitione necessitatis ad motum, sicut dispositio necessitatis ad formam
 ignis non potest stare cum forma aque; set character potest stare cum
 opposito gratie; ergo character non est dispositio necessitatis ad gratiam.
 Secundo, quia illud per quod homo disponitur ad aliquid simpliciter | *L8vb*
 et non secundum bene non est dispositio necessitatis ad gratiam, quia
 65 quod simpliciter dicitur et absolute | indifferens est ad bene et ad male, *E10rb*
 gratia autem determinat ad id quod est bene; set character disponit ad
 aliquid agendum simpliciter et non secundum determinationem ad
 bene, ut dictum fuit prius; ergo etc. Tertio, quia illud non est dispo-

M170va tio necessitatis ad gratiam sine quo datur gratia et cum quo non datur; 70
 set sine | caractere datur gratia, ut in baptismo flaminis, cum caractere
 uero quandoque non datur, ut in ficte accedentibus ad baptismum;
 ergo etc.

V86ra [A7-B7] Alia opinio est quod recedente fictione | ab eo qui ficte
 Na70ra baptismum recepit, sequitur remissio peccatorum, que per baptismum 75
 receptum in fictione facta non fuit, non quidem uirtute baptismi pre-
 cedentis, set propter cordis contritionem et humilitatem mentis quam
 habet in contritione. Et istius sententie est IOANNES in apparatu super
 illo c. De consecr. dist. 4 *Tunc ualere*. Set ista Glossa corrumpit
 textum, quia textus capituli dicit quod *baptismus incipit ualere, quan-*
do fictio recedit, Glossa uero dicit quod remissio peccatorum non est 80
 propter baptismum, set propter cordis contritionem. Ex quo sequitur
 quod recedente fictione nullus est ibi ualor baptismi, set solum con-
 tritionis. Non ergo tunc incipit ualere baptismus, ut dicit textus. Item
 non concordat ei quod tenet Ecclesia de remissione peccatorum per
 baptismum, quia per baptismum tollitur omnis culpa, saltem mortalis, 85
 et omnis pena, per contritionem autem non dimittitur omnis pena,
 saltem regulariter, quamuis quandoque contingat et raro. Si igitur ta-
 lis remissio fieret solum ratione contritionis, peccata commissa ante
 baptismum non delerentur totaliter quoad penam, cuius contrarium 90
 communiter docet Ecclesia. Tenenda est ergo prima opinio tamquam
 probabilior et uerior. Quod patet secundum duplicem opinionem que
 habetur de efficacia sacramentorum.

[A8] Potest ergo alio modo
 dici, scilicet quod si in sacramen-
 95 tis est subiectiue aliqua uirtus
 spiritualis instrumentaliter agens
 ad effectum baptismi, tunc non
 apparet qualiter recedente fic-
 tione baptismus prius receptus
 100 possit de nouo habere aliquem
 effectum, quia uirtus illa agit ex
 necessitate nature nec agere po-
 test nisi dum est; set talis uirtus
 non est nisi in actuali exhibitione
 105 sacramenti (transit enim et non
 permanet, ut dictum fuit supra
 distinctione prima); ergo nichil
 potest in actuali exhibitione sa-
 cramenti. Et in hoc sensu recte
 110 procedit ratio supra posita contra
 precedentem positionem. Nec
 ualet si dicatur quod licet bap-
 tismus transeat, manet tamen

[B8] Si enim in sacramentis
 non sit aliqua uirtus inherens, set
 solum diuina uirtus assistens per
 modum pactionis | et ordinatio-
 nis, tunc probabiliter potest dici
 quod recedente fictione bap-
 tismus prius receptus habeat suum
 effectum, quia pactio et ordina-
 tio diuina potest esse de effectu
 sacramenti, uel quando actu sus-
 cipitur et suscipiens non ponit
 obicem, uel postquam receptum
 est remoto impedimento, sicut
 dicimus de merello, mediante
 quo datur elemosyna; non enim
 statim elemosyna recipitur, cum
 merellus ostenditur, set uel tunc
 uel postea secundum beneplaci-
 tum | ordinatoris.

*M170vb**K9ra*

caracter ad quem necessario sequitur gratia; ostensum est enim prius quod caracter non est dispositio necessitatis ad gratiam.

115

[A9-B9] Si autem in sacramentis sit uirtus inherens, idem patet, quia ista opinio non excludit pactionem et ordinationem diuinam, set includit; non enim res sacramentales de se habent talem uirtutem, set ex diuina ordinatione. Nec caracter causatus a uirtute existente in sacramento habet secundum se quod ad ipsum sequatur gratia infallibiliter excluso impedimento, set ex diuina ordinatione hac ratione, quia cum Deus non defficiat in necessariis, quotienscumque confert per sacramentum potestatem, cuius actus non potest exerceri sine gratia, confert cum ea et gratiam. Et si non tunc propter fictionem suscipientis, tamen recedente fictione ut sacramentum sit plenum. Cum igitur caracter sit potestas ad actum qui non potest impleri conuenienter sine gratia, ex ordinatione diuina est ut ad caracterem sequatur gratia infallibiliter uel tunc, si non assit fictio, uel postea fictione recedente. Et hoc modo dicitur ualere baptismus quatinus ad caracterem impressum cum ordinatione diuina sequitur gratia recedente fictione, sicut a principio fuisset, si fictio non affuisset.

120

125

130

M171ra

Secundum hoc dicendum est | ad primum argumentum quod effectus in actu habet causam in actu. Et ideo gratia que de nouo adest recedente fictione habet causam in actu principalem, scilicet Deum, et dispositiuam, scilicet caracterem, ad quem sequitur gratia modo quo

135

dictum est. Et ratione characteris dicitur precedens | baptismus habere postea suam efficaciam, quamuis non iteretur. Rationes autem alie
 140 probant quod character secundum se non | est dispositio necessitatis |
 ad gratiam, quod concessum est, set hoc habet ex ordinatione diuina
 propter causam assignatam. *P94vb*
E10va
V86rb

[A10] Ad rationes. Et cum in sacramentis non sit aliqua uirtus inherens, set solum diuina uirtus assistens per modum diuine
 145 pactionis et ordinationis, tunc potest probabiliter sustineri quod recedente fictione baptismus prius receptus habeat suum effectum, quia pactio et ordinatio diuina potest esse de effectum sacramenti, uel quando actu suscipitur et suscipiens non ponit impedimentum uel obicem uel postquam receptum est remoto
 150 impedimento, si quod fuit in suscipiendo, sicut et dicimus de merello, mediante quo datur elemosyna; non enim statim elemosyna recipitur, cum merellus ostenditur, set uel tunc uel postea secundum beneplacitum ordinatoris. Et propter hoc in sacramentis in quibus suscipiens potest ponere obicem gratie et
 155 in quibus gratia est principalis effectus sacramenti, utpote quia per se ordinantur ad deletionem culpe, ut baptismus et penitentia, uidetur habere locum hec pactio dilatoria; unde sicut ponitur quod baptismus habet effectum suum recedente fictione, sic etiam ponitur de penitentia informi, ut infra patebit, quamuis non sit omnino simile, ut infra dicitur. *deest* 3

[A11-B10] Ad | rationes in oppositum dicendum: ad primam quod
 peccatum mortale post baptismum commissum deletur simul cum aliis prius commissis, non tamen uirtute baptismi precedentis, set uirtute contritionis fictionem amouentis. Et quia contritio non tollit totam *L9ra*

penam, ut baptismus, ideo peccatum illud post baptismum commissum non expiatur totaliter quoad penam. Tenetur etiam homo de eo confiteri, cum | pertineat directe ad sacramentum penitentiae, ex quo post baptismum commissum est, non sic autem de commissis prius. 165

Na70rb [A12-B11] Ad secundum dicendum quod non est simile de sacramento eucharistiae, quod consistit in consecratione materie, que non potest | prestare impedimentum sacramento, et de sacramento baptismi uel penitentiae, respectu quorum suscipiens potest prestare impedimentum et prestitum amouere; propter quod talia sacramenta, licet in sui exhibitione non habeant suum effectum propter indispositionem suscipientis, habent tamen ipsum indispositione remota. Et sic locum habet quod dicit AVGVSTINVS in auctoritate ad oppositum allegata. 170 175

<QVESTIO QVARTA

VTRVM CARENTES VSV RATIONIS SINT BAPTIZANDI>

[A1-B1] Postea queritur de ficte suscipientibus baptismum, et primo *M171rb* utrum carentes usu rationis | sint baptizandi. *Et* uidetur quod non, quia baptismus non est conferendus nisi uiuentibus uita humana, cum sacramenta sint remedia hominum, ut homines sunt; set carentes usu 5

rationis non uiuunt uita humana, cum non utantur ratione, per quam homo est homo; ergo non sunt baptizandi.

[A2-B2] Item soli credentes sunt baptizandi iuxta illud quod dicitur M c. ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit*, etc.; set carentes usu rationis non possunt credere; ergo non debent baptizari.

[A3-B3] In contrarium est quia *baptismus successit circumcisoni*; set illa dabatur carentibus usu rationis, scilicet pueris octauo die sue natiuitatis; *ergo et baptismus similiter debet eis dari*.

15 [A4-B4] Responso. Aliqui carent usu rationis triplici de causa: primo propter imperfectionem etatis, ut pueri uel infantes; secundo propter infirmitatem, ut frenetici et amentes; tertio propter passionem sompni, ut dormientes.

[A5-B5] Quantum ad primos dicendum quod eis debet conferri baptismus. Cuius ratio est quia nulli etati cui imminet periculum dampnationis deest remedium salutis, ut patet per AVGVSTINVM L i b r o 8 3 q u e s t i o n u m , ubi comparat etates hominis statibus mundi; set paruulis inest causa sue dampnationis, scilicet originale peccatum, et periculum ex morte; ergo non deest eis remedium salutis. | Non est
20
25 autem aliud nisi baptismus; | propter quod qui dicit baptismum eis * non esse conferendum contradicit diuine misericordie, que pronior est

V86va

K9rb

ad miserendum quam ad condempnandum. Iuxta quod notandum est quod non solum licitum est tunc paruulis conferre baptismum, set etiam periculosum est differre propter tria: *primo propter imbecillitatem nature* in pueris, ex qua | frequenter et quasi subito imminet eis 30 periculum mortis et per consequens periculum dampnationis; *secundo propter infestationes demonum, qui non habent tantam potestatem in baptizatis* sicut in non baptizatis; *tertio*, quia homo *firmius inheret* hiis que a puero *recipit*.

[A6-B6] De hiis autem que carent usu rationis propter grauamen 35 infirmitatis, sicut sunt frenetici uel amentes, distinguendum est, quia aut *ex* natiuitate fuerunt tales nec habuerunt *aliqua lucida interualla, et de talibus est idem iudicium quod de pueris*; aut *incurrerunt* amentiam *ex infirmitate et habent* uel habuerunt aliquod lucidum interuallum; 40 *E10vb* et isti numquam tempore amentie | sunt baptizandi, nisi urgeat casus necessitatis. Qui si urgeat, aut ipsi in precedenti lucido interuallo fuerunt in proposito suscipiendi baptismum aut non. Si fuerunt, *sunt baptizandi*, etiam si tunc contradicant, quia contradictio eorum non est ex mente, cum non habeant usum rationis, set ex sola fantasia; et

45 ideo talis contradictio non impedit effectum baptismi quin recipiant
sacramentum et rem sacramenti. Si uero non fuerunt in proposito sus-
cipiendi baptismum, nullo modo sunt baptizandi; et ratio huius est
quia in adultis quibus quandoque affuit usus rationis necesse est ad
baptismum intentio suscipiendi ipsum, sicut ex parte ministri necesse
50 est intentio conferendi. Si igitur tempore lucidi interualli non habue-
runt propositum recipiendi, nullo modo sunt baptizandi. Et si de facto
| baptizentur, nullum est sacramentum.

L9rb

[A7-B7] De dormientibus autem dicendum quod nullo modo de-
bent baptizari extra casum necessitatis; | qui si immineat, iudicandum
55 est de proposito eorum | in uigilia, sicut dictum est de proposito eorum
qui sunt in frenesi uel | amentia.

*Na70va**P95ra**M171vb*

[A8-B8] Ad argumenta: ad primum dicendum quod aliqui dicun-
tur uiuere uita humana dupliciter, aut propter opera uite, aut prop-
ter principium uite: propter opera uite, sicut illi qui utuntur ratione,
60 per quam homo est homo; propter principium uite, ut ille qui habet
animam rationalem, et istud sufficit ad suscipiendum sacramentum
baptismi * ad delendum peccatum originale, quod non est contractum
proprio actu, ut in paruulis et amentibus qui numquam usum rationis

habuerunt. De ceteris autem, qui quandoque usum rationis habuerunt per lucidum interuallum, dictum fuit prius. 65

Z156vb

[A9-B9] Ad secundum dicendum quod dictum Domini M c. ultimo intelligitur de solis adultis qui per doctrinam Apostolorum erant instruendi, de quibus predixerat: *Predicate euangelium omni creature*; nulli enim talium baptismus fuit dandus, nisi crederet.

<QVESTIO QVINTA

VTRVM PARVVLI IVDEORVM SINT BAPTIZANDI INVITIS PARENTIBVS>

[A1-B1] Secundo queritur utrum paruuli iudeorum sint baptizandi inuitis parentibus. Et uidetur quod sic, quia *magis* est occurrendum periculo *mortis eterne quam mortis temporalis*; set paruulo existenti in 5
periculo mortis temporalis subueniendum est *contra uoluntatem parentum*, *etiam si ex malitia uellent oppositum*; ergo *multo magis est subueniendum pueris infidelium in periculo mortis eterne* *etiam* *inuitis parentibus*, quod fit dum baptizantur paruuli eorum; quare etc.

10 [A2-B2] Item *quilibet homo magis est Dei, a quo habet animam, quam patris, a quo habet corpus; non ergo uidetur iniustum, si pueri infidelium parentibus auferrentur et Deo per baptismum consecrarentur.*

[A3-B3] In contrarium est quia secundum GREGORIVM IV MORA-
 15 *ralium sub lege nature pueri saluabantur in fide parentum.* Ex quo
 potest sic argui: nullum sacramentum ualet sine fide; set fides paren-
 tum reputatur | fides filiorum quamdiu sunt paruuli, nec habent usum
 rationis; ergo sine fide et uoluntate parentum paruuli non possunt sus-
 cipere aliquod sacramentum.

V86vb

M172ra

[A4-B4] Responsio. *Pueri infidelium | aut habent usum rationis aut*
 20 *non. Si habent, iam sunt sue potestatis quantum ad ea que sunt iuris*
diuini uel naturalis et ideo propria uoluntate possunt inuitis parentibus
baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere pro tempore.
 Si uero nondum habent usum rationis, sic est opinio triplex an sint
 inuitis parentibus baptizandi. QUIDAM dicunt quod principes terreni
 25 possunt licite, immo meritorie auferre pueros iudeorum qui sunt in
 dominiis suis et eos baptismo offerre, et quod pueri sic baptizati sus-
 cipiunt uerum baptismum. Primum probatur dupliciter, primo sic:
 res et bona seruorum sunt dominorum suorum; set iudei sunt serui

K9va

dominorum, in quorum terris habitant, ut habetur *Extra* de iudeis
 et sarracenis c. *Et si iudeos*; ergo res et bona iudeorum sunt principum 30
 christianorum; set filii sunt quedam res parentum; ergo filii iudeorum
E11ra sunt in potestate principum | ut res eorum; possunt ergo eis uti, ut
 placet, offerendo eos ad baptismum.

[A5-B5] Secundo sic: princeps christianus dominus iudeorum po-
 test filios eorum uendere in seruitutem terrenam; ergo fortiori ratio- 35
 ne potest eos offerre in seruitutem diuinam, quod fit per baptismum.
 Immo uidentur in hoc mereri, si hoc faciunt propter salutem puerorum
 et honorem Dei et non ut parentes cogantur ad credendum, quia illud
 non est licitum.

Secundum probatur sic, quia ad susceptionem baptismi sufficit 40
 quod non inueniatur in suscipiente obex contrarie uoluntatis, ut patet
M172rb in paruulis | christianorum, qui ante baptismum pares sunt paruulis
 iudeorum; set in paruulo cuiuslibet iudei uel infidelis non est obex
 contrarie uoluntatis; ergo tales suscipiunt uerum baptismum.

[A6-B6] Secunda opinio est totaliter huic contraria; ponit enim 45
Na70vb quod non est licitum | paruulos iudeorum auferre parentibus et offerre
 baptismum et, si de facto fiat, non suscipiant sacramentum.

Ratio primi est quia, quamuis aliqui possint esse serui aliorum
 quantum ad opera ciuilia, in hiis tamen que eis competunt iure na-

- 50 turali uel diuino non sunt serui, set liberi (potest enim seruus comedere et bibere inuito domino et etiam contrahere matrimonium, ut habetur *Extra de coniugio seruorum c. 1*; hec enim competunt eis de iure naturali; et similiter potest inuito domino credere in Deum et huiusmodi que pertinent ad ius diuinum); set baptizari spectat ad ius
- 55 diuinum; ergo cum cura paruulorum de iure naturali et diuino quantum ad hoc competat | parentibus, manifestum est quod non possunt eis licite auferri ut baptizentur, licet possint eis auferri ut uendantur sicut et cetera res ad opera ciuilia. Secundo, quia non minorem potestatem habet dominus temporalis super parentem iudeum quam super
- 60 eius filium, | immo quasi maiorem, quia a seruitute parentum deriuatur seruitus filii; set constat quod princeps non potest licite compellere iudeum adultum ad baptismum suscipiendum in se, ut habetur dist. 45 ex concilio Toletano, ubi dicitur sic: *De iudeis precepit sancta synodus nemini | ad credendum uim inferre*; ergo non debet eis inferre uim
- 65 auferendo filium ut baptizetur, cum uoluntas filii paruuli sit uoluntas patris quousque filius habeat usum rationis. Tertio, quia, | si hoc esset licitum, probabile esset quod primitiui sancti et rectores Ecclesie hoc consuluissent terrenis principibus quos habuerunt ualde fauorabiles, | ut Siluester Constantinum et Ambrosius Theodosium; hoc autem nus-

L9va

P95rb

V87ra

M172va

Z157ra

quam leguntur fecisse; ergo non est probabile quod hoc possit fieri 70
 licite. Quarto, quia hoc non esset securum, set ualde periculosum, quia
 puer sic baptizatus dum ueniret ad etatem adultam, posset resilire ab
 eo quod fecisset ignorans et contra uoluntatem habentium curam eius.
 Ex quibus patet quod non est licitum principibus auferre filios iudeo-
 rum et offerre eos baptismo. 75

[A7-B7] Patet etiam solutio ad rationes prime opinionis inductas
 contra hunc articulum, quia licet iudei et filii eorum et res eorum sint
 dominorum quantum ad opera manualia et ciuilia, non tamen quan-
 tum ad ea que competunt iudeis ex iure naturali uel diuino, inter que
 computatur | susceptio baptismi. 80

Secundum probatur sic, quia ad susceptionem baptismi non suf-
 ficit quod non inueniatur obex contrarie uoluntatis in eo qui debet
 baptizari, set requiritur intentio | suscipiendi baptismum directa uel
 interpretatiua. Quod patet, quia si *aliquis adultus* sic nutritus esset
 quod nichil omnino audiuisset de fide et esset in solo originali, si talis 85
 dormiret et dormiendo baptizaretur, constat quod nichil fieret, ut patet
 ex precedenti questione, et tamen in uoluntate eius nullum obicem |
 inueniret baptismus. Plus ergo requiritur, scilicet uoluntas suscipiendi
 baptismum directa uel interpretatiua, directa in adulto, interpretatiua
 in paruulo; sola | autem uoluntas parentum est uoluntas interpretatiua 90
 paruulorum, antequam habeant usum rationis, propter quod consue-
 uit dici quod antiquitus ante datam circumcisionem *saluabantur pue-*

95 *ri in fide parentum*, non autem aliorum nisi quatinus gerebant uicem parentum; quare si inuitis parentibus baptizaretur paruulus, nichil uidetur fieri, cum desit uoluntas eorum directa et interpretatiua. Et ex hoc patet solutio rationis prime opinionis quoad secundum articulum.

[A8-B8] Tertia opinio est que tenet uiam mediam, scilicet quod non est licitum filios iudeorum baptizare inuitis parentibus, et si tamen fiat, uere baptizati sunt. Primum probatur ut supra in secunda opinio-
 100 ne. Secundum *autem* probatur sic, quia non potius habet ius infidelis super filium quam fidelis; set si | filius parentis fidelis et christiani baptizetur inuito parente, recipit uerum baptismum; ergo similiter si baptizetur filius infidelis iudei uel sarraceni, recipiet uerum sacramen-
 105 tum. Pro hac opinione uidetur esse quod scribitur De consecr. dist. 4 c. *Paruuli fideles uocantur*, ubi uidetur insinuari quod paruulis sufficit fides offerentium nulla facta mentione de fide parentum. Primum articulum credo *uerum esse*, scilicet quod non *licet* principibus christianis paruulos iudeorum auferre parentibus et eos baptismo offerre. Set secundus articulus, scilicet *quod* paruuli ablati, si de facto

Na71ra

baptizentur, uerum *suscipiant* sacramentum, est michi dubius, quia, 110
 si quis uellet dicere quod non posset respondere ad rationes in contra-
 rium *adductas*, cum enim primo *dicitur* quod filius parentis chri-
 L9vb stiani potest | baptizari inuito parente et suscipit uerum baptismum,
 M173ra | ergo similiter filius iudei uel alterius cuiuscumque | infidelis, non
 V87rb ualet, quia Ecclesia preest fidelibus non solum in actibus ciuilibus, set 115
 in hiis que ad cultum Dei pertinent. Et ideo si christianus utatur re sua
 contra diuinum cultum, non iniuriatur ei Ecclesia, si priuet eum re sua
 et deputet eam ad usum debitum. Et in hoc casu uoluntas Ecclesie est
 uoluntas paruuli interpretatiua, quia Ecclesia habet interpretari in hoc
 casu uoluntatem parentis. Immo, ut uerius dicatur, uoluntas Ecclesie 120
 est in hoc casu uoluntas interpretatiua paruuli magis quam uoluntas
 parentis carnalis, eo quod de iure uoluntas parentis fidelis subest uo-
 luntati Ecclesie. Non sic autem est de paruulis infidelium, quia ante
 baptismum non subsunt Ecclesie, nec ratione sui nec ratione paren-
 P95va tum, ut sic uoluntas | Ecclesie possit esse uoluntas interpretatiua eorum 125
 quoquo modo. Decretum etiam allegatum non cogit, quia offerentes
 paruulum iudei non offerunt eum uice sua, cum nichil iuris habeant
 in offerendo filium alienum, nisi hoc procedat de uoluntate parentum;

130 nec offerunt ipsum uice parentum cum supponamus ex titulo ques-
tionis quod offeratur parentibus inuitis; nec uice Ecclesie, quia ante
baptismum nichil iuris habet in paruulo parentis infidelis. Canon ergo
allegatus loquitur in casu in quo offerentes gerunt uicem parentum
aut Ecclesie, quod potest esse in paruulis christianorum, non autem in
paruulis iudeorum uel quorumcumque infidelium.

135 [A9-B9] Ad primum argumentum dicendum quod nulli est subue-
niendum in periculo corporali contra ordinem iuris ciuilis. Vnde si
quis a suo iudice rite condempnetur ad mortem, non est per uiolen-
tiam | eripiendus. Similiter contra ordinem | iuris | naturalis uel diuini, Z157rb
quo filius est sub cura parentum, non est eripiendus ut liberetur a M173rb
140 periculo mortis eterne: non enim sunt facienda mala *ut ueniant bona*, K10ra
Rom. 3; hoc autem fieret, si filius iudei uel cuiuscumque infidelis
offerretur baptismo inuitis parentibus, quorum cure subest quoad hoc
de iure naturali et diuino.

[A10-B10] Ad secundum dicendum quod *homo ordinatur in Deum*
145 *per rationem, per quam potest Deum | cognoscere*. Et ideo *puer, antequam* E11va
habeat usum rationis, ordinatur in Deum per rationem parentum, quo-
rum cure naturaliter subiacet; propter quod secundum eorum dispositio-
nem sunt circa eum agenda diuina.

<QVESTIO SEXTA

VTRVM BAPTISMVS FLAMINIS ET SANGVINIS

SVPPLEANT VICEM BAPTISMI AQVE>

[A1-B1] Postea queritur utrum baptismus flaminis et sanguinis sup-
pleant uicem baptismi aque. *Et* uidetur quod non: primo de baptismo 5
flaminis, quia si suppleret uicem baptismi, tunc iustificatus per fidem
et contritionem non esset baptizandus; consequens est falsum, ut patet
ex precepto dato Ioh. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*
etc.; ergo et antecedens.

[A2-B2] Item si fides propria et deuotio sufficeret ad salutem adulti 10
sine baptismo aque, eadem ratione, ut uidetur, sufficeret paruulo ad
salutem fides et deuotio aliena, quia sicut in adultis requiritur fides pro-
pria, ita in paruulis sufficit aliena; set paruuli non possunt iustificari per
Na71rb fidem alienam sine sacramento; ergo nec adulti per | fidem propriam; et
tamen iste uocatur baptismus flaminis; quare etc. Minor probatur per 15
illud quod dicit AVGVSTINVS Libro de fide ad Petrum et reci-
tatur De consecr. dist. 4: *Firmissime tene paruulos qui uel in uteris*
M173va *matrum uiuere incipiunt et ibi moriuntur | uel de matribus nati sine*
sacramento baptismi de hoc seculo transierunt eterno supplicio puniendos.

[A3-B3] Item probatur de baptismo sanguinis quod non suppleat 20
uicem baptismi fluminis, quia maioris efficacie est uirtus passionis

Christi quam sit caritas suscipientis martyrium pro Christo; set baptismus aque habet uirtutem ex passione Christi, ut habetur R o m . 6, ubi dicitur: *Consepulti enim sumus cum illo | per baptismum in mortem*; martyrium uero ex caritate suscipientis, sicut dicit APOSTOLVS I C o r . 13: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem | autem non habuero, nichil michi prodest*. Ergo uidetur quod efficacia martyrii non attingit ad efficaciam baptismi et ita non perfecte supplet uicem eius.

30 [A4-B4] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS lib. IV De baptismo et recitatur De consecr. dist. 4: *Baptismi uicem aliquando supplere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in paradiso, beatus Cyprianus non leue documentum assumit, quod etiam atque etiam considerans non tantum passionem pro*
 35 *nomine Christi susceptam id quod baptismo deerat posse supplere, set etiam fidem et conuersionem cordis, si forte ad celebrandum misterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.*

[A5-B5] Responso. Tria sunt uidenda: primum est de distinctione baptismi; secundum est de comparatione eorum; tertio ex hiis apparebit
 40 propositum.

[A6-B6] Quantum ad primum sciendum est quod loquendo proprie et simpliciter de baptismo solum est unus baptismus, qui fit in aqua cum determinata forma uerborum et est sacramentum de quo dicit APOSTOLVS Eph. 4: *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.*

- M173vb* Si uero aliquid aliud dicatur baptismus, hoc non | est simpliciter et 45
 proprie, set per attributionem, sicut urina, medicina, dieta dicuntur
 sana per attributionem ad sanitatem animalis, quia urina est signum
 sanitatis, medicina causa efficiens, dieta causa conseruans; et per hunc
 modum aliquid dicitur baptismus, quia signum est ueri baptismi. Et sic
P95vb diluuium dicitur baptismus I Pe t r i 4 propter saluationem | fidelium 50
 et submersionem malorum per diluuium factam, que significat ablu-
 tionem uitiorum et liberationem a potestate demonum, que uere fit in
 baptismo; propter eandem rationem submersio Egyptiorum in mari
 rubro et liberatio populi Dei baptismus dicitur ab APOSTOLO I C O R.
K10rb 10, | ubi dicitur: *Patres nostri omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in 55*
E11vb *mari*; similiter quedam | ablutiones ueteris legis baptismata hoc modo
 dici possunt, ut aqua lustrationis et quedam similia; dicitur etiam ali-
 quid baptismus, quia est dispositio preparans ad baptismum nostrum,

ut baptismus Ioannis. Et de istis raro loquuntur DOCTORES preter DA-
 60 MASCENVM, qui cum hiis que dicta sunt et dicentur assignat nouem
 genera baptismatum. Alio modo dicitur aliquid baptismus secundum
 proportionem ad effectum ueri baptismi. Et sic dicitur baptismus pe-
 nitentie uel flaminis et baptismus sanguinis, de quibus loquitur hic
 MAGISTER et GLOSSA super illud Heb r. 6 *Baptismatum doctrine* di-
 65 cit quod est baptismus aque, penitentiae et sanguinis, quia sicut effectus
 baptismi est | mundatio culpe et ablatio pene, sic per penitentiam et *Z157va*
 martirium remittitur culpa et pena simpliciter uel in parte: simpliciter
 ut in martirio, in parte ut in penitentia, quando susceptionem sacra-
 menti baptismi | excludit casus necessitatis, non contemptus religionis. *M174va*
 70 Et de martirio quidem patet sic: non minus operatur passio Christi
 ad salutem in eo qui ei conformatur secundum realem susceptionem
 quam | in eo qui ei conformatur solum secundum figuralem represen- *Na71va*
 tationem; set in martirio suscepto pro Christo martyr conformatur
 Christo passo quantum ad realem passionis susceptionem; in baptismo
 75 autem solum conformamur ei quantum ad figuralem representatio-
 nem; ergo non minus operatur ad salutem martirium quam bap-
 tismus aque. De penitentia autem, que dicitur baptismus flaminis, in
 quantum cor hominis mouetur a Spiritu Sancto ad credendum et di-
 ligendum Deum et penitendum pro peccatis, similiter patet quod per

V87**ob** eam remittitur culpa, dicente Scriptura Sap. 11: *Dissimulans peccata* | 80
hominum propter penitentiam. Et sic martyrrium et penitentia dicuntur
 baptismata. Et sic patet primum.

[A7-B7] Quantum ad secundum, scilicet de comparatione ipso-
 rum, sciendum *est* quod possunt comparari quantum ad duo secun- 85
 dum duos effectus baptismi, qui sunt liberatio a malo et adeptio boni.
 Liberatio autem a malo est triplex, secundum quod est triplex malum:
 culpa, pena et sequela.

[A8-B8] Quantum ad liberationem a culpa melior est baptismus
 fluminis et penitentia quam baptismus fluminis et sanguinis, non quia
 L10**rb** | plenius tollat culpam, set quia crebrius tollit eam. Potest enim iterari, 90
 non autem martyrrium uel *baptismi sacramentum*. Ex quo potest sic ar-
 gui: existente morbo iterabili melius est remedium iterabile quam non
 iterabile; set morbus peccati, saltem actualis, est iterabilis et remedium
 eius, quod est penitentia seu baptismus fluminis *similiter* est iterabile,
 M174**rb** non autem | martyrrium uel baptismus aque; ergo etc. Ista tamen ratio 95
 non uidetur concludere de martyrrio, quia in martyre post martyrrium
 peccatum non est iterabile, eo quod exiuit statum peccandi.

[A9-B9] Quantum autem ad liberationem a malo pene baptismus
 aque melior est, quia perfectior est quam penitentia, eo quod tollit

100 omnem penam culpe debitam, quod non facit penitentia; martyrium
 uero etsi tollat omnem penam, non tamen eque leuiter. Ex quibus po-
 test sic argui: illud remedium est melius quod est perfectius et leuius; set
 respectu mali pene baptismus fluminis est perfectius remedium quam
 baptismus flaminis, est etiam leuius quam martyrium, ut patet ex iam
 105 dictis; ergo etc.

[A10-B10] Quantum autem ad liberationem a malo sequele preua-
 let martyrium ceteris duobus, quia post baptismum aque et penitentie
 possibile est recidiuum, *set* post martyrium non. Set hoc est per ac-
 cidens, quatinus martyrium facit exire de hoc mundo.

110 Si autem comparentur quantum ad collationem boni, sic simpliciter
 dicendum quod martyrium aliis duobus preeminet. Quod patet sic:
 illud preeminet in collatione boni in quo confertur habundantius gra-
 tia, que est principium merendi, et in quo relucet clarius opus maioris
 meriti et quod perducit | celerius ad donum maioris premii; set ista *E12ra*
 115 sunt in martyrio respectu aliorum duorum; ergo etc. Minor proba-
 tur, quia in martyrio datur habundantior gratia quam in baptismo uel
 penitentia, si martyr eam prius non habebat, uel augetur amplius, si
 eam prius habebat. Alioquin Deus defficeret in necessariis, cum | ma- *K10va*
 ior gratia sit necessaria ad difficiliorem actum. Gratia autem et caritas
 120 commensurantur, cum sint idem uel inseparabiliter concomitentur | *M174va*
 se; ad martyrium autem requiritur maxima caritas, dicente Domino *P96ra*

I o h . 15: *Maiorem hac dilectionem nemo habet* etc.; ergo requiritur maior gratia. Relucet etiam in eo opus maioris meriti, tum quia de se est difficilius, quia *fnis terribilium mors*, ut dicitur II E t h i c o r u m, tum quia procedit ex maiori caritate, ut statim allegatum est. Perducit etiam celerius ad donum maioris premii, quia per martyrium homo statim euolat, non sic autem per baptismum et penitentiam: baptizati etiam et penitentes recipiunt solum premium essenziale, quod dicitur aurea; martyr uero premium essenziale et accidentale, quod dicitur aureola; quare etc. Et sic patet secundum. 125 130

[A11-B11] Ex hiis patet tertium, quod principaliter queritur, scilicet qualiter baptismus *flaminis et sanguinis* suppleant uicem baptismi aque, | quia in illo solo suppleant uicem baptismi fluminis, qui est uerus et simpliciter baptismus, in quo rationem et nomen baptismi participant; set baptismus sanguinis et flaminis non participant | nomen et rationem baptismi in quantum baptismus est sacramentum, set solum in quantum habent similem effectum in ablutione culpe et in dimissione pene simpliciter uel in parte, ut dictum fuit; ergo non suppleant uicem baptismi quantum ad aliquid sacramentale, set solum quoad effectus predictos. Et quia baptismus est sacramentum necessitatis ut habeatur in uoto quoad omnes et ut suscipiatur in actu, quando 135 140

articulus necessitatis susceptionem non impedit, ideo iustificatus bap-
 tismo flaminis adhuc tenetur baptizari baptismo fluminis, non propter
 145 remedium, quo non indiget, set propter preceptum diuinum, et ut
 suppleatur in eo quod sacramentale est, et exterius in ritu baptismi et
 interius in collatione characteris. Baptismus | enim institutus est non so- *M174vb*
 lum in remedium persone contra culpam, set etiam propter utilitatem
 publicam distinctionis et conformitatis membrorum Ecclesie. Vnde
 Ioannes Baptista, quamuis sanctus, dixit Christo *M a t t h . 3: Ego a te*
 150 *debeo baptizari*, et Cornelio iam | iustificato dixit angelus *A c t . 10 de* *L10va*
Petro, qui eum debebat baptizare: Hic dicit tibi quid te oporteat facere.

[A12-B12] Per hoc patet responsio ad primum argumentum.

[A13-B13] Ad secundum dicendum quod baptismus flaminis non
 155 habet locum in paruulis, set tantum in adultis. Plus enim ualeat adulto
 fides propria et personalis quam ualeat paruulo fides aliena; unicuique
 enim potest ualere fides sua per modum meriti, saltem de congruo; set
 fides aliena numquam sine aliquo signo exteriori, quod esset sacramen-
 tum, ut nunc est baptismus et in lege circumcisio, uel haberet quasi
 uim sacramenti, ut ante legem aliqua exterior protestatio, que saltem

declarabat facientem agere in fide Ecclesie, ut dictum fuit *prius* dist. 160
1, cum ageretur de remedio paruulorum.

[A14-B14] Ad tertium dicendum quod martyrium non solum ha-
bet efficaciam a caritate patientis, licet illa requiratur, secundum quod
dicit APOSTOLVS, set ex causa patiendi et ex conformitate ad passionem
Christi; propter que uirtus passionis Christi eque plene uel plenius 165
communicatur martyrio sicut in baptismo.

<DISTINCTIO QUINTA
QUESTIO PRIMA

UTRUM A MALIS MINISTRIS POSSIT CONFERRI VERUS BAPTISMVS>

[A1-B1] *Post hoc sciendum est* etc. Circa distinctionem istam primo
5 queritur de ministro baptismi et secundo de potestate Christi bap-
tismum instituentis. Quantum ad primum primo queritur utrum a
malis ministris possit conferri uerus baptismus. Et uidetur quod non,
quia *sicut ad baptismum requiritur forma et materia, ita et minister; set*
materia indebita uel forma euacuat sacramentum; ergo similiter minister
10 *indebitus; | set minister malus | est minister indebitus* dicente AVGVSTI-
NO: *Iustos oportet esse tanti iudicis ministros; ergo etc.*

E12rb

M175ra

[A2-B2] Item *membrum aridum non participat actionem corporis; set*
baptizare est quedam actio corporis mistici; ergo malus minister, cum sit
membrum aridum, istam actionem exercere non potest.

15 [A3-B3] Contra est quod dicit AVGVSTINVS in littera: *Non timeo*
adulterum, | non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo per
quam michi dicitur: Hic est qui baptizat.

K10vb

[A4-B4] Responso. Videnda sunt tria: primum est utrum mali ministri possint conferre uerum baptismum; secundum est utrum peccent conferendo; tertium est utrum recipientes ab eis peccent. Quantum ad primum sciendum est quod differt esse bonum hominem bonitate moris, que est bonitas simpliciter, de qua communiter loquuntur homines, et esse bonum artificem, que est bonitas secundum quid cum additione. Aliquis enim est bonus artifex, puta faber, qui non est bonus simpliciter, et econuerso aliquis est bonus homo simpliciter, qui non est bonus | faber, set malus. Hee enim due bonitates se habent per accidens adinuicem ita quod non | licet in hiis ex diuisis inferre coniunctum uel ex coniunctis diuisum, ut si dicatur: “iste est bonus et est faber, ergo est bonus faber”, uel si dicatur: “iste est bonus faber, ergo est bonus et est faber”, non sequitur, set est | fallacia accidentis. Omnis sic est de bonitate ministri, inquantum est minister, et de bonitate hominis, que est bonitas simpliciter.

[A5-B5] Dicendum ergo quod a malo ministro, qui est malus inquantum minister, nullum uerum sacramentum potest conferri, a malis tamen hominibus simpliciter potest uerum sacramentum conferri sicut a bonis. Primum patet sic: nullus est malus minister, nisi sit deffectuosus in aliquo pertinente ad ministerium suum; set deffectus eorum que requiruntur ad ministerium | euacuat sacramentum; ergo a malo ministro non potest conferri uerum sacramentum. Maior patet, quia cum malum sit priuatio et deffectus alicuius rei debite, non potest esse malus

minister nisi cui defficit aliquid pertinens ad suum ministerium. Minor probatur, quia ad ministerium cuiuscumque artificii non concurrunt in generali nisi tria ex parte ministri, scilicet scire, uelle seu intendere et posse; ergo non est malus minister nisi qui est deffectuosus in aliquo
 45 istorum. Set quocumque istorum defficiente nullum est sacramentum, quia, si omnino nescit baptizare aut non intendit aut non potest proferre uerba, quia mutus, aut immergere, quia mancus, nichil fit; ergo a malo ministro qui est malus inquantum minister non potest conferri baptismus nec aliquod sacramentum. Hoc autem intelligendum est, | *L10vb*
 50 quando est malus et deffectuosus simpliciter in hiis que requiruntur de necessitate ad ministerium, quia, si sit in talibus deffectuosus | non *Z158ra*
 simpliciter, set secundum quid, utpote quia nescit ita bene, sicut alius qui est melior clericus uel magis expertus, uel non potest ita bene formare uerba, quia blesus, uel quia lingue Latine ignarus, sicut ille de
 55 quo recitatur *De consecr. dist. 4: Retulerunt qui dicebant: Baptizote in nomine Patria* etc., nichilominus esset uerum sacramentum, quia deffectus secundum quid non tollit effectum simpliciter.

[A6-B6] Secundum patet, scilicet quod a malis hominibus malitia moris potest conferri uerus baptismus: primo, quia ea que sunt de
 60 pertinentibus ad sacramentum maxime necessitatis debent esse comunissima et notissima; set baptismus est sacramentum maxime necessitatis, potissime quantum ad paruulos, qui non habent aliud remedium sue salutis; | bonitas autem moralis que est per gratiam non *M175va*

est communissima et notissima, set est ualde rara et ignota; ergo non requiritur in ministro baptismi. Secundo, quia illud quod consistit in opere operato non uitiat ex demerito operantis, si tamen concurrant que sunt de necessitate operis; set omne sacramentum consistit in opere operato; ergo non uitiat ex malitia uel demerito ministri operantis, dummodo | concurrant que sunt de necessitate operis. Et hoc est quod dicit AVGVSTINVS Super Ioannem parte 1 homilia 5 et recitatur De consecr. dist. 4 c. *Ego dico: et nos dicimus omnes quia iustos oportet esse tanti iudicis ministros; sint ministri iusti, si uolunt; si autem nolunt esse iusti qui in cathedra Moysi sedent, securum me fecit magister meus, de quo dicit Spiritus Sanctus: Hic est qui baptizat.* Et idem habetur eadem distinctione c. *Romanus pontifex* cum pluribus aliis. Et sic patet primum. 65 70 75

K11ra [A7-B7] Quantum ad secundum, scilicet | utrum mali homines conferendo sacramenta peccent, dicitur communiter quod sic baptizando ut ministri et cum solempnitate, non autem baptizando in casu necessitatis et absque solempnitate. Ratio primi est duplex: prima est quia irreuerentia sacramentorum uidetur esse mortale peccatum; set mali conferendo sacramentum irreuerentiam faciunt sacramento | (est enim irreuerentia, cum *uasa sanctitatis* tractantur ab immundis); ergo etc. Confirmatur hoc per dictum DVONISII | in *Ecclesiastica ierarchia*, qui dicit 80

V88va

Na72rb

- 85 quod *immundis* sacra *symbola* et *signa* sacramentalia *tangere* *nephas* est. Secunda est quia minus malum fuit, ut uideatur, accedere ad sacramenta ueteris legis cum immunditia prohibita a lege quam accedere ad sacramenta noue legis cum immunditia conscientie; set primum fuit peccatum mortale; ergo et secundum. Minor probatur per illud quod dicitur
- 90 | Leu . 2: *Omnis homo qui accesserit de stirpe uestra ad ea que consecrata sunt, in quo est immunditia peribit coram Domino.* Idem dicunt C a n o n e s I quest. 1 c. *Remissionem peccatorum*, ubi dicitur quod quamuis sacramenta in modum lucis ab immundis contaminari non possint, ipsi tamen *perniciose habent* quamquam *aliis salubriter et utiliter* | *admi-* M175vb
- 95 *nistrent*, et eadem questione c. *Per Ysaïam* dicitur quod *sacramenta obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Ratio secundi assignatur talis, quia qui baptizat in casu necessitatis et absque solempnitate, non baptizat ut minister, set sicut uetula baptizaret; et ideo nichil uideatur agere indebitum contra ministerium suum, P96va
- 100 excusat etiam eum casus necessitatis.
 [A8-B8] *Set ista non uidentur sufficere: primum non, quia* quod

non potest aliquis facere nisi minister, non potest quis facere nisi ut minister; set administrare quodcumque sacramentum non potest nisi minister *ille* qui ex ordinatione diuina est minister, quia minister est de necessitate sacramenti, sicut materia et forma; ergo nullus potest ministrare quodcumque sacramentum nisi ut minister. Et ideo quicumque baptizat, si est uerus baptismus, oportet quod sit minister ueri baptismi et baptizet ut minister, licet | non baptizet cum solempnitate instituta ab Ecclesia; solempnitas enim non dat ei esse ministrum, set est signum ministerii sui. *Nec secundum uidetur sufficere, scilicet quod excuset a peccato propter casum necessitatis*, quia casus euitabilis non est casus necessitatis excusantis a peccato, quia non tollit rationem | uoluntarii; set talis est casus noster, quia si incumbat alicui baptizare puerum morientem et est sibi conscius alicuius peccati mortalis, in potestate eius est habere displicentiam de peccato *de quo est sibi conscius* et tunc potest sine scrupulo puerum baptizare; ergo casus talis necessitatis non excusat baptizantem quin peccet. Hec autem opinio, licet sit dura, uidetur tamen esse segura.

[A9-B9] Quantum ad tertium, scilicet utrum recipientes baptismum a malis peccent, dicendum est quod aut minister malus est pre-

cisus ab Ecclesia sicut hereticus uel excommunicatus, aut non. Si sit precisus, aut paruulus est baptizandus aut adultus. Si sit paruulus, non peccat, cum non | habeat usum liberi arbitrii, set offerens ipsum peccat *Z158rb*
 in illo casu in quo adultus peccaret offerendo se ipsum. Si autem sit
 125 adultus, aut latet eum probabiliter ministrum esse precisum, et tunc
 non peccat, | quia talis ignorantia eum excusat. *E12vb*

[A10-B10] Si uero non latet eum, tunc peccat mortaliter recipiendo ab eo baptismum. Cuius ratio est quia eodem precepto quo precipitur excommunicato uel cuicumque ab Ecclesia preciso ne se ingerat diuinis
 130 precipitur cuilibet alteri ne communicet cum eo in eisdem; set precisus ingerendo se administrationi diuinorum peccat mortaliter faciens contra preceptum Ecclesie; ergo recipiens ab eo sacramentum peccat faciendo contra idem preceptum. | Et hoc est intelligendum nisi in casu extreme | necessitatis, | qui non potest ab | Ecclesia prohiberi, in quo
 135 casu quilibet potest recipere baptismum a quocumque pagano, iudeo uel heretico. *V88vb*
K11rb
M176rb
Na72va

[A11-B11] Si autem minister non est precisus, set tantum est peccator, non peccat recipiens ab eo baptismum, quia si aliquo modo peccaret, hoc non esset nisi quia uidetur eum inducere ad peccandum petendo ab eo sacramentum, quod ille non potest conferre nisi peccando. Set istud non oportet, quia, cum malus minister possit in momento penitere de peccato commisso, probabiliter ignoratur ab eo qui petit baptizari an ille penituerit uel non, et in talibus semper est melior pars

supponenda, quia siue penituerit siue non, petens baptismum non inducit eum ad peccandum, cum iste solum petat ius suum et ille, si uult, potest sine peccato exhibere. 145

[A12-B12] Si uero minister esset adeo malus quod nollet eum sine* pecunia baptizare, nullo modo *pro baptismo esset sibi* pecunia danda, quia hoc est simoniacum, et non sunt facienda mala *ut eueniant* bona*, ut dicitur R o m . 3. Et in hoc casu, si sit adultus et non habeat alium 150 qui eum baptizet, sufficit ei fides et contritio ad salutem; nec debet baptizare se ipsum, quia nullum esset sacramentum, eo quod sicut in generatione corporali alius est generans necessario et alius * qui generatur, sic in generatione spirituali, que est *baptismus*, alium oportet esse eum qui regeneratur, et alium qui regenerat. Vnde quod dicit INNO- 155 CENTIVS III de quodam iudeo qui baptizauerat se ipsum, quod si continuo decessisset, ad patriam protinus euolasset, intelligendum est quod hoc fuisset non | propter uirtutem sacramenti, quod | nullum fuit, set
P96vb propter fidem et deuotionem quam habuit, maxime cum exposuerit
M176va se periculo mortis, cum inter iudeos existens se ipsum baptizauerit, ut 160 recitatur E x t r a de baptismo et eius effectu, c. *Debitum*.

[A13-B13] Si autem sit paruulus quem sacerdos non uult baptizare nisi pro pecunia, tunc puer baptizandus est ab offerente, si sit necessitas. Alioquin reseruandus est, quousque inueniatur minister qui eum

165 gratis baptizet. | Si autem sit necessitas et offerens non habeat aquam, *L11rb*
 neque consecratam neque non consecratam, nisi emat eam a sacerdote
 qui uult ratione consecrationis eam plus uendere quam ualeat, tunc
 dicendum est quod offerens non debet eam plus emere ratione conse-
 170 crationis, quia hoc esset simoniacum. Set potest aquam, ut aqua est,
 quia talis sufficit ad baptismum, quantumcumque care emere ratione
 sue indigentie et necessitatis, quia etiam in ceteris rebus augetur pre-
 tium propter indigentiam hominum.

[A14-B14] Ad primum argumentum dicendum est quod malus
 homo est debitus minister sacramenti, si habeat ea que pertinent ad
 175 ministerium, quantum ad hoc quod confert uerum sacramentum. Est
 tamen indebitus quoad se, quia talis administratio non est ei ad meri-
 tum, set potius ad peccatum. Istud tamen non euacuat sacramentum,
 sicut et ex parte materie non euacuatur *sacramentum* propter im-
 munditiam aque.

180 [A15-B15] Ad secundum dicendum quod malus homo est mem-
 brum aridum in hiis que pertinent ad meritum, et ideo non meretur
 conferendo sacramentum. Non est tamen membrum aridum in hiis que
 pertinent ad ministerium, si concurrunt in ipso ea que sunt de necessi-
 tate | ministri; et hoc sufficit ad hoc quod conferat uerum sacramentum. *M176vb*

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM CHRISTVS SECVNDVM QVOD HOMO HABVERIT POTESTATEM
OPERANDI INTERIOREM EFFECTVM SACRAMENTORVM>

[A1-B1] Secundo queritur de potestate Christi baptismum instituen-
tis utrum Christus secundum quod homo habuerit potestatem operan- 5
di interiorem effectum sacramentorum. Et uidetur quod sic: primo per
illud quod dicitur *Matth. 9: Filius hominis habet potestatem in terra*
V89ra dimittendi peccata; set | remissio peccatorum | est interior effectus sacra-
E13ra menti; ergo Christus secundum quod filius hominis habuit potestatem
operandi *interiorem effectum sacramenti.* 10

[A2-B2] Item *nullus potest effectum sacramenti conferre sine sacra-*
mento, nisi ex se habeat potestatem super effectum sacramenti; set
Christus contulit effectum sacramenti sine sacramento, ut patet in Mag-
dalena et Petro; ergo uidetur quod Christus secundum quod homo habuit
Na72vb potestatem operandi interiorem effectum | sacramenti. 15

[A3-B3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS quod *in sacra-*
K11va mentis diuina uirtus | salutem nostram secretius operatur; set diuina uir-
tus non est Christi secundum quod homo, set secundum quod Deus; ergo
*Christus non operatur *interiorem effectum sacramenti secundum quod*
homo, set secundum quod Deus.* 20

[A4-B4] Responsio. Circa questionem istam sunt uidenda tria. |
Primum est quam potestatem Christus habuit secundum quod homo

25 respectu effectus sacramentorum. Secundum est utrum illam potestatem hominibus communicare potuerit. Tertium est quam potestatem communicauit.

Quantum ad primum sciendum *est* quod triplex est potestas respectu effectus sacramentorum, scilicet auctoritatis, excellentie et ministerii. Potestas auctoritatis est qua quis propria uirtute remittit culpam et confert gratiam. Potestas | ministerii est per quam compe-
 30 tit alicui solum sacramenta ministrare. Potestas excellentie est media inter istas duas, quia aliquid participat de potestate auctoritatis, licet non plene, aliquid uero de potestate ministerii. Secundum hoc patet quod Christus secundum quod homo non habuit potestatem auctori-
 35 tatis respectu effectus sacramentorum. Cuius ratio est quia, ut dictum est, nullus habet talem potestatem, nisi propria uirtute possit conferre gratiam et remittere culpam; set hoc non competit nisi Deo; ergo non competit Christo secundum quod homo. Potestas autem excellentie competit Christo in quantum homo. Cuius ratio est quia instrumento
 40 humanitas Christi est quasi instrumentum coniunctum diuinitati, in quantum in eodem supposito sunt diuinitas et humanitas; ergo actio Dei in sacramentis principalius et excellentius competit Christo secundum quod homo quasi instrumento coniuncto quam cuicumque homini puro, qui est quasi instrumentum separatum.

45 [A5-B5] Hec autem excellentia consistit in quatuor: primo, quia ex

M177ra

passione eius baptismus efficaciam habet, non effectiue, set meritorie; secundo, quia sacramenta instituit; tertio, quia quandoque effectum sacramenti sine sacramento tribuit; quarto, quia ad inuocationem nominis eius baptismus aliquo tempore collatus fuit, ut in primitiua Ecclesia ex causa superius dicta. Et sic patet primum. 50

[A6-B6] Quantum ad secundum, scilicet quam potestatem hominibus communicare potuerit, planum est quod non potuit | communicare hominibus potestatem auctoritatis, | quia illa non fuit eius nisi inquantum Deus, nec potuit *sibi* communicari inquantum homo erat, ut | dictum est, et multo minus potuit communicari homini puro. 55
 De potestate autem excellentie, que sibi communicata fuit, tenetur communiter quod eam hominibus communicare potuit, set non de-
 cuit. Primum probatur | sic: quidquid communicatum est Christo in quantum homo potest communicari homini puro; set predicta potestas *fuit communicata* Christo inquantum homo; ergo potuit communicari cuicumque homini puro. Minor patet. Set maior probatur, quia Deus potest nature humane communicare *omne* illud cuius *ipsa* *capax est*; set natura humana est capax omnis perfectionis que communicata est Christo secundum naturam humanam (alioquin non fuisset sibi communicatum, si natura non fuisset capax); ergo etc. Potuit ergo secundum hanc opinionem communicari alicui puro homini 60
 65

quod meritum eius baptismo efficaciam tribueret, quod baptismum in-
 stitueret, quod sine baptismo effectum baptismi tribueret | et quod ad *V89rb*
 inuocationem nominis eius tribueretur baptismus. Istud tamen non
 70 decuit ne seruus in conseruo poneret spem salutis et ne multiplicaretur
 baptismus secundum multitudinem ministrorum. In hoc autem dicto
 est unum solum dubium, scilicet an potuerit alicui puro homini con-
 ferri quod meritum eius tribueret efficaciam sacramentis. Hoc enim
 non uidetur esse possibile, nisi dicatur quod pura creatura potuerit pro
 75 toto humano genere | satisfacere. | Cuius ratio est quia, cum sacramen- *E13rb*
 ta sint sufficientia remedia nostre iustificationis, nullius persone meri- *Na73va*
 tum potest efficaciam tribuere sacramentis, nisi que potuit satisfacere
 pro omnibus peccatis. Si ergo illud primum potuit communicari alicui
 puro homini, uidetur quod et secundum. Quod tamen communiter
 80 negatur. | Quid tamen sit uerum circa hoc, dicitur lib. III dist. 20. *M177va*
 Qui tamen uellet tenere conclusionem contrariam posset soluere ad
 rationem prius positam dicendo quod non est communicatum Christo
 secundum quod homo absolute quod eius meritum efficaciam tribuat
 sacramentis, set secundum quod eius humanitas coniuncta est diui-
 85 nitati, ex qua coniunctione competit ei quod meritum eius sit aliquo
 modo efficacie infinite. Et ideo istud non potest communicari alicui
 | humanitati, nisi assumeretur in unitatem nature diuine. Quicquid *K11vb*

tamen sit de hoc, patet quod Christus non communicavit hominibus nisi potestatem simplicis ministri ad dispensandum sacramenta, que ipse instituit, sicut APOSTOLVS dicit C o r. 4: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei.* Et hoc dicit AVGVSTINVS Super Ioannem homelia 5, et habetur in littera: *Quid nouerat Ioannes baptista? Dominum. Quid uero non nouerat? Potestatem baptismi dominici ad nullum hominem transituram, set ministerium.* In quo apparet secundum quod fuit propositum. 90 95

[A7-B7] Ad argumenta. Ad primum dicendum quod filius hominis habuit in terra potestatem dimittendi peccata per auctoritatem in quantum Deus, quod ostensum est, scilicet ipsum esse Deum, per curationem paralitici, set potestatem habuit in quantum homo per ministerium excellentie, ut dictum est. 100

[A8-B8] Per idem patet ad secundum, quia quod Christus contulerit effectum sacramenti sine sacramento, hoc potuit in quantum Deus, set meruit in quantum homo.

Z158vb

<DISTINCTIO SEXTA

QUESTIO PRIMA

VTRVM IN MATERNO VTERO POSSIT PVER SANCTIFICARI>

[A1-B1] *Nunc quibus liceat baptizare* etc. Circa distinctionem istam
5 primo queritur utrum in materno utero possit puer sanctificari. Et
uideretur quod non, quia sicut se habet peccatum actuale ad actum, sic
peccatum originale | ad originem; set nullus potest sanctificari a pec- *M177vb*
cato actuali, quamdiu coniunctus est actui peccati (alioquin simul in
eodem essent culpa et gratia, quod est impossibile); ergo nullus potest
10 sanctificari ab originali peccato, quamdiu coniunctus est origini; set
talis est puer, quamdiu est in utero materno; ergo etc.

[A2-B2] Item non minus est efficax | diuina operatio in curatione *L11vb*
spirituali quam in corporali; set curati a Deo corporaliter non egerunt
aliquo medicamento corporali; ergo nec curati a Deo spiritualiter egent
15 alio medicamento spirituali; sed omnes, postquam nati sunt, egent
baptismo; ergo ante natiuitatem nullus curatur spiritualiter a Deo.

[A3-B3] In contrarium est quod dicitur L c. 2 de Ioanne baptista:

Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue. Et de Ieremia dicitur Ier. 1: *Antequam exires de uulua sanctificaui te.*

[A4-B4] Responso. Intelligendum est quod sanctificatio a culpa 20
originali est duplex: una secundum legem communem, que fit median-
te sacramento baptismi; alia secundum specialem dispensationem ex
speciali gratia Dei. Dicendum ergo quod secundum primam sanctifica-
tionem nullus sanctificatur nisi natus ex utero matris, tamen secundum
priuilegiatam sanctificationem possunt et fuerunt aliqui ante natiuita- 25
tem suam sanctificati.

V89va [A5-B5] Primum patet, quia sanctificatio que fit per baptismum fit
P97rb per usum et applicationem ad | baptizatum; set paruulo existenti in ute-
Na73rb ro matris non potest fieri talis applicatio; ergo non potest sibi adhiberi
30 talis sanctificatio. | Et si quis dicat quod immo, saltem mediante matre,
non ualet, quia aut intelligitur quod, si mater non sit baptizata, sufficit
M178ra unus baptismus pro ipsa et puero existente | in utero, aut intelligitur
quod matre prius baptizata secundus baptismus mediante matre prosit
puero. Primum non potest dici, quia distinctorum suppositorum oportet
esse distincta baptismata; set mater et paruulus in utero eius existens 35
sunt duo distincta supposita; ergo debent habere distincta baptismata

et non tantum unum. Nec secundum potest dici, quia proxima et im-
mediata causa debet immediate uniri subiecto actionis; proxima autem
et immediata causa nostre sanctificationis secundum legem communem
40 sunt sacramenta; ergo debent immediate uniri subiecto suscipienti sanc-
tificationem, quod non potest fieri quoad puerum existentem in utero
materno; quare etc. Hoc etiam confirmatur per illud quod fit in aliis
sacramentis: in confirmatione enim oportet confirmandum immediate
45 inungi in fronte et non mediante larua; et similiter | ordinatus imme-
diate recipit ab episcopo instrumenta sue ordinationi congrua; simili-
ter est in extrema unctione. Ergo in baptismo idem censendum est. Et
hoc est quod dicitur *De consecr. dist. 4 Qui in maternis*. Oportet
ergo ad baptizandum puerum expectare natiuitatem ex utero et per-
fectam natiuitatem, nisi periculum mortis immineat. Et tunc si aliqua
50 pars appareat, aut est caput aut alia pars. Si caput, tunc, ut dicunt
QVIDAM, aspergi debet cum prescripta forma uerborum; et reputatur
puer baptizatus propter caput, in quo sicut in principaliori parte uigent
omnes | operationes anime, et si contingat quod totus egrediatur, non
est rebaptizandus. Secus autem est de aliis partibus, ut de manu uel

*E13va**K12va*

M178rb pede, in quibus non uigent omnes | operationes anime; nichilominus 55
 et hee aspergende sunt cum forma uerborum, quia non est artanda
 diuina misericordia, quinimmo potius est presumendum quod, si ali-
 quid defficiat de integritate sacramenti, suppleatur per misericordiam
 Christi; *si tamen postea plenarie nascatur*, baptizandus est *ad cautelam*
*sub hac forma: Si tu non es baptizatus, *ego baptizo te** etc. 60

[A6-B6] Set hic est unum dubium, quia baptismus in paruulo or-
 dinatur ad remissionem originalis culpe; set originalis culpa ponitur in
 essentia anime et non in aliqua eius potentia, uel si est in potentia, illa
 non est organica; set equaliter se habet ad omnes partes corporis; ergo
 equaliter sufficit ad baptismum aspergere quamcumque partem in qua 65
 est essentia anime, sicut illam in qua cum essentia uigent potentie;
 talis autem est quelibet pars pueri egredientis ex utero matris, cum in
Z159ra qualibet parte uiuentis sit essentia anime; ergo idem iudicium | est de
 qualibet parte egrediente; quare etc.

[A7-B7] Secundum patet, scilicet quod secundum specialem dis- 70
 pensationem potest aliquis in utero sanctificari, quia, sicut est in or-

dine nature, sic est in ordine gratie; set sic est in ordine nature quod
 illa que secundum cursum | nature fiunt mediantibus causis secundis L12ra
 possunt fieri et quandoque fiunt a Deo sine eis, ut patet in operibus
 75 miraculosis; ergo eodem modo est in ordine gratie quod sanctificatio
 nostra, que secundum legem communem fit mediantibus sacramentis,
 potest fieri a Deo immediate sine eis. Et sic factum est de Ieremia, | qui V89vb
 sanctificatus fuit in utero, et plenius de Ioanne baptista et plenissime
 de uirgine Maria, secundum quod plus uel minus accesserunt ad Chri-
 80 stum sanctum sanctorum. Hec autem | duo quadam communi ratione M178va
 sic probari possunt. Triplex est status pueri, postquam animatus est:
primus est in utero materno, in quo notus est Deo, non autem Ecclesie
uel sibi; secundus est in tempore infantie, postquam natus est ex utero,
 in quo notus est Deo et | Ecclesie, set non sibi notitia humana, que Na173va
 85 est per rationem; *tertius est in adulta etate, in qua iam notus est Deo,*
 Ecclesie et sibi. Ex hoc sic arguitur: *actus actiuorum sunt in patiente et*
disposito; set puer in primo statu natus est suscipere actionem Dei, cui

P97va soli notus est, non autem actionem Ecclesie, | nec ad actionem eius
 adhuc natus est coagere; in secundo autem statu natus est suscipere
 actionem Dei et Ecclesie, cum sit utrique notus, nondum tamen natus 90
 est coagere propter deffectum usus liberi arbitrii; in tertio autem statu
 potest actionem Dei et Ecclesie suscipere, potest etiam ex parte sui
 coagere. Ergo in primo statu potest a solo Deo sanctificari preter sacra-
 menta Ecclesie; in secundo potest sanctificari a Deo et Ecclesia secun-
 dum legem communem, ipso tamen nichil *cooperante*, quod fit per 95
 baptismum; in tertio uero potest sanctificari a Deo et Ecclesia, ipso ta-
 men cooperante, quod fit per baptismum adiuncta interiori penitentia
 quantum ad peccatores uel fide et deuotione saltem quoad innocentes.
 [A8-B8] Ad primum argumentum dicendum quod origo potest
 nominare actum quo aliquis esse acquirit uel principium a quo uel in 100
 quo illud acquirit. Primo modo origo hominis est in infusione anime,
 per quam acquirit esse hominis, et qui sic coniunctus est origini sancti-
 ficari non potest a peccato originali, quia tunc contrahit peccatum ori-
 ginale sicut coniunctus proprio actui malo contrahit peccatum actuale.
M178vb | Et sic procedit argumentum. Vt autem origo | nominat principium 105
E13vb maxime passiuum, in quo aliquis accipit esse, sic coniunctus origini
 potest sanctificari diuina uirtute, ut puer existens in utero matris, quia

non est ei coniunctus per actum generatiue, per quem culpa contrahitur, set per actum nutritiue.

110 [A9-B9] Ad secundum dicendum quod sanctificati in utero egent baptismo, non ut medicamentum curationis, quod plene receperunt, set ut accipiant characterem, per quem ascribantur cetui Ecclesie et sint susceptiui sacramentorum, et ut impleant communem legem promulgatam pro omnibus generaliter I o h . 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc.

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM AD BAPTISMVM REQVIRATVR INTENTIO MINISTRI>

[A1-B1] Secundo queritur utrum ad baptismum requiratur intentio ministri. Videtur quod non, quia magis uidetur requiri ad baptismum fides quam intentio, cum baptismus specialiter sit* sacramentum fidei; set non requiritur ad baptismum fides ministri, set sufficit fides Ecclesie (alioquin iudeus uel paganus non posset baptizare); ergo uidetur quod non requiritur intentio ministri, set sufficit generalis intentio Ecclesie. K12rb

10 [A2-B2] Item si intentio ministri requiretetur ad baptismum, recta intentio requiretetur ad rectum baptismum; consequens est falsum,

ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet, quia, si aliquis baptizaret puerum non ea intentione ut puer salutem consequeretur, set ut baptizans efficeretur familiaris matri pueri, non propter hoc in aliquo uitaretur baptismus; quare etc.

M179ra [A3-B3] In contrarium est quia ad omnem | actionem que procedit 15
 ex libero arbitrio requiritur intentio agentis; set administratio sacra-
L12rb mentorum est actio procedens a | libero arbitrio ministri; ergo ad eam
V90ra requiritur intentio | ministrantis.

[A4-B4] Responsio. Videnda sunt duo: primum est an ad sacra-
 mentum requiratur intentio ministri; secundum est utrum requiratur 20
 recta intentio *eiusdem* uel non.

[A5-B5] Quantum ad primum tenetur communiter quod inten-
 tio ministri requiritur ad baptismum. Ratio huius est quia ex pluribus
 causis numquam sequitur unus effectus, nisi ille cause aliquo modo 25
Na73vb inter se uniantur; set plures cause concurrunt | ad baptismum et ad
 quodlibet aliud sacramentum, scilicet materia, forma et minister, ex
 quibus sequitur effectus baptismi uel alterius sacramenti; ergo oportet
 quod iste cause per aliquid uniantur; illud autem est intentio ministri
 applicantis formam ad materiam et utrumque ad suscipientem; ergo ad
 omne sacramentum requiritur intentio ministri. Qualis autem sit illa 30

intentio, sciendum quod duplex est intentio: una interior | et mentalis, Z159rb
 alia exterior et uocalis, que consistit in uerbis ab Ecclesia institutis, que
 sunt: *Ego baptizo te* etc.

[A6-B6] *Dicunt ergo QUIDAM* quod in baptismo et in aliis sacramen-
 35 tis que habent in forma actum exercitum non requiritur mentalis intentio,
 set sufficit exterior expressio intentionis per uerba ab Ecclesia instituta.
 Et ideo si forma seruatur nec aliquid exterius dicitur quod intentionem
 contrariam exprimat, puer est baptizatus. Hoc autem pro tanto dici-
 tur, quia incertum est de mentali intentione ministri, propter quod, si
 40 illa requiretetur ad baptismum, numquam constaret de puero an esset
 baptizatus uel non, nisi baptizanti, quod est inconueniens, cum bap-
 tismus sit sacramentum necessitatis. Sufficit ergo secundum ISTOS sola
 expressio intentionis Ecclesie per uerba ab Ecclesia instituta.

[A7-B7] *Et si istud intelligatur* sic | quod ad baptismum non re- P97vb
 45 quiratur mentalis intentio ministri | *sic quod ipsa* semper et actu M179rb
 concomitetur actum eius *, uerum est, set sufficit quod ab intentione
 procedat et ex ui principalis intentionis tamquam ex radice perficiatur,

quia in operibus meritoriis non plus requiritur, in quibus tamen tantum uel magis est necessaria intentio operantis, quia talia opera totam efficaciam habent a condicione operantis; uix enim est possibile quin in uno opere quantumcumque modico interrumpatur intentio. 50

deest 21

Et hec est intentio FRATRIS THOME, sicut patet in *Scripto* in solutione primi argumenti, ubi dicit quod *in instrumento inanimato non requiritur intentio propria, set in instrumento animato quod non tantummodo agitur, set aliquo modo agit, requiritur intentio exequendi ministri, ad quod applicatum est.* Et similiter 55
in *Summa* parte ultima quest. 64 dicit quod requiritur intentio ministri sic *ut intendat facere quod facit Ecclesia.* Item in *Scripto* et similiter in *Summa* dicit quod *si non adsit actualis intentio quando actu profert uerba, dummodo prius intenderit, sacramentum non impeditur, quia tunc operatur in ui principalis intentionis: non enim oportet quod in opere semper intentio coniungatur, set sufficit quod opus ex intentione | procedat.* 60

E14ra

[A8-B8] Si autem intelligatur quod mentalis intentio ministri nullo modo requiratur ad baptismum, set sufficit uocalis expressio uerborum institutorum ab Ecclesia, 65
non est uerum propter multa:

absque hoc quod minister a principio uel tunc intendat facere quod facit Ecclesia, falsum est in se et falsum est etiam dicere quod fuerit de eius intentione. Quod 70

non fuerit de eius intentione,
probatum est. Quod sit falsum
in se, probatur quadrupliciter:

- 75 primo, quia hec expositio contradicit | principali conclusioni, que di- *M179va*
cit quod intentio ministri requiritur ad baptismum; constat autem
quod intentio est actus interior et | mentalis; si ergo ille desit, quan- *K12va*
tumcumque uerba exteriora intentionem significantia proferantur,
non est ibi intentio, set proferuntur uerba aut sicut a non intelligente,
80 ut esset pica, uel sicut a mentiente, si intelligat.

- [A9-B9] Secundo, quia magis requiritur ad sacramentum intentio
mentalis conferentis quam suscipientis (nam in omni actione intende-
re attribuitur agenti magis quam passo); set ad sacramentum requiritur
intentio suscipiendi sacramentum: interpretatiua, si sit paruulus, *et*
85 propria, si sit adultus (qui enim nec simpliciter nec condicionaliter
uult baptizari nichil recipit), ut habetur *Ex t r a* de | baptismo et eius *L12va*
effectu c. *Maiores*; ergo fortiori ratione requiritur mentalis intentio
ex parte baptizantis.

- [A10-B10] Tertio, quia si sufficeret exterior expressio uerborum
90 absque mentali intentione, tunc qui baptizatur sub prescripta forma
uerborum ab aliquo intendente solum iocum uere esset baptizatus; hoc
autem falsum est, ut patet per *AVGVSTINVM* lib. VII *D e b a p t i s m o*

V90rb p a r u l o r u m, licet in littera dicat quod in hoc | esset diuinum ora-
 culum implorandum: hoc enim dicit, quando incertum est an solo
 Na74ra ioco | quis baptizatus fuerit, an cum ioco intenderetur serium. Legi- 95
 mus enim quod, cum *puer Athanasius ludendo se simulans episcopum*
quosdam pueros baptizauerit, iudicatum fuit quod non rebaptizarentur,
 M179vb *quia inuentum est quod ipse intentionem baptizandi habuit; quod ex hoc*
patuit, quia non nisi catechumenos | baptizauit. Vbi autem constaret 100
 quod solo ioco faceret, non intentione baptizandi, essent omnino re-
 baptizandi, eo quod nichil esset omnino prius factum.

[A11-B11] Quarto *, quia sicut actus exercitus exprimitur in forma
 uerborum baptismi, sic exprimitur in forma uerborum matrimonii,
 ut, cum dicitur: *Accipio te in meam*; set nullum est matrimonium, si
 deficiat interior consensus uel intentio animorum, quantumcumque 105
 fiat exterius expressio uerborum, ut habetur *E x t r a* de sponsa duorum
 c. *Tuas dudum*; ergo nec est baptismus, si desit interior intentio, quan-
 tumcumque fiat exterior uerborum expressio.

[A12] Nec ratio alterius opinionis cogit, quia etsi lateat in-
 tentio interior ministri, tamen semper supponendum est de eius
 intentione, ex quo profert uerba que eius intentionem expri-
 munt, quod si non intenderet, nullum periculum ex hoc immi-

deest B

110

neret baptizato, quia in adulto fides et deuotio suppleret uicem
 baptismi, in paruulo autem pie creditur quod summus sacerdos
 115 Christus supplet illud quod malus minister omisit quantum ad
 hoc quod salutem consequeretur, quia quantum in offerentibus
 puerum fuit, Christum sacramentaliter induit; si tamen consta-
 ret quod non intendisset baptizare, baptizandus esset; requiritur
 ergo ad collationem baptismi intentio ministri, non quecumque,
 120 set conferendi quod confert Ecclesia. Et sic patet primum.

deest B

[A13-B12] Quantum ad secundum breuiter dicendum quod inten-
 tio baptizantis potest esse recta dupliciter: uel respectu collationis sa-
 cramenti uel respectu effectus sacramenti. Primo modo requiritur recta
 intentio baptizantis ad hoc quod sit uerus baptismus, ut patet ex prece-
 125 dentibus. Set secundo modo | non requiritur ad ueritatem sacramenti
 recta intentio ministri. Cuius ratio est quia prius non dependet a poste-
 riori, in hiis maxime que sunt separabilia abinuicem; set sacramentum
 baptismi et collatio gratie, que est eius effectus, separantur abinuicem;
 ergo quod respicit solum effectum non est necessarium | ad sacramen-
 130 tum; set recta intentio respectu effectus respicit solum effectum; ergo
 sine ipsa potest esse uerum sacramentum. Nec per hoc etiam impedi-
 tur effectus sacramenti, quia peruersa intentio pertinet ad personalem
 malitiam ministri, que non obest baptizato, ut dictum fuit prius. Et
 hoc est quod dicit | AVGVSTINVS in Epistula ad Bonifatium, et
 135 habetur De consecr. dist. 4 et in littera *Non illud te moueat.*

Z159va

P98ra

B29rb

- M180ra* [A14-B13] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de fide, que est causa uniuersalis, et de intentione, que est causa particularis applicans reliqua ad effectum, quia sufficit quod fides Ecclesie includatur in intentione ministri ut intendat facere quod credit Ecclesia, licet ipse non credat illud aliquid ualere. Oportet tamen intentionem ministri esse ad hoc ut | intendat facere quod facit Ecclesia. 140
- E14rb* [A15-B14] Ad secundum dicendum quod ad baptismum requiritur recta intentio baptizantis quantum ad collationem sacramenti, set non quantum ad effectum baptismi, ut dictum est, in quo tamen sensu procedit secundum argumentum. 145

<QUESTIO TERTIA

VTRVM CATECHISMVS DEBEAT PRECEDERE BAPTISMVM>

- V90va* [A1-B1] Deinde queritur de catechismo et exorcismo, | que sunt quedam adiuncta baptismi, et primo utrum catechismus debeat precedere baptismum. Videtur quod non, quia uita precedit doctrinam; set per baptismum confertur spiritualis uita, per catechismum uero spiritualis doctrina; ergo baptismus debet precedere catechismum et non e conuerso. 5
- [A2-B2] Item frustra exhibetur doctrina ei qui non est capax doctrine; set paruulus non est capax doctrine; ergo non debet ei exhiberi catechismus, qui est doctrina | fidei. 10
- K12vb*

[A3-B3] In contrarium *est generalis consuetudo Ecclesie.*

[A4-B4] Responsio. Videndum est primo quid sit catechismus, et ex hoc apparebit quod queritur.

15 [A5-B5] Quantum ad primum sciendum est quod, *sicut in aliis doctrinis sunt quedam principia communia quibus ignoratis necesse est artem ignorare*, eis tamen scitis non oportet *totam artem propter hoc* sciri, sic *in doctrina fidei sunt quedam communia* que necessarium | est scire ad salutem, ut articuli *Trinitatis, incarnationis, passionis, aduentus* M180rb
 20 | ad iudicium, alia uero sunt subtiliora, *ad que omnes non tenentur.* L12vb
Instructio ergo de communibus que scire necessarium est ad salutem uocatur *catechismus*; unde diffinitur sic: *catechismus est instructio circa fidei rudimenta*, idest circa generalia | fidei que etiam rudibus sunt Na74rb
 necessaria ad sciendum.

25 [A6-B6] Ex hoc patet secundum, scilicet quod *congrue catechismus* precedat baptismum: primo quantum ad adultos, quia in baptismo fit obligatio ad obseruandum fidei et eorum que ad fidem pertinent; set nullus debite *obligatur ad aliquid* nisi sciens et uolens; ergo congruum est quod ea que sunt fidei proponantur baptizando saltem
 30 in generali ut ipse profiteatur fidem et obligetur ad eius obseruatio-

nem; totum autem istud fit in catechismo (est enim ibi instructio de communibus articulis fidei ex parte catechizantis, et responsio de fidei susceptione et professione ex parte baptizandi et sponsio de eius observatione); ergo conuenienter catechismus precedit baptismum. Et hoc satis congruum est in adultis, ut dictum est. Et de hoc dicit RABANVS 35
De institutione clericorum, et recitatur De consecr. dist. 4: Ante baptismum catechizandi debet preuenire officium ut fidei primum catechizandus accipiat rudimentum.

M180va Quod autem hoc sit congruum quantum ad paruulos, de quibus minus uidetur, potest sic persuaderi, quia sicut paruulus potest con- 40
 sequi salutem ex fide aliena cum | sacramento, sic congruum est quod possit obligari ad ea que sunt fidei obligatione aliena; set istud fit per catechismum cum responsione et obligatione que fit pro paruulo per patrinum; ergo etc.

[A7-B7] Ad primum argumentum dicendum quod uita nature 45
 precedit quamcumque doctrinam; set doctrina potest precedere et congrue precedit uitam gratie; uita autem gratie est per baptismum, doctrina autem per catechismum; et ideo catechismus debet precedere baptismum.

[A8-B8] Ad secundum dicendum quod, sicut Ecclesia pro salute 50
 pueri accommodat ei cor alterius ad credendum ita ut fides aliena, ma-

xime parentum uel gerentium uicem eorum, reputetur fides pueri ad salutem, sic accommodat eis alienas aures ad audiendum et alienum os ad profitendum et ad spondendum ea que sunt fidei et salutis. Et
 55 utrobique est eadem ratio, quod paruulus possit per alienum saluari et per alium obligari ad ea que sunt salutis.

<QVESTIO QVARTA

VTRVM EXORCISMVS DEBEAT PRECEDERE BAPTISMVM
 ET VTRVM SIT ALICVIUS EFFICACIE>

[A1-B1] De exorcismo queritur utrum debeat precedere baptismum,
 5 et utrum sit alicuius efficacie. Et uidetur quod | non, | quia si per exorcismum diabolus expellitur a paruulo baptizando, aut hoc est quantum
P98rb
V90vb
Z159vb
 ad effectum corporalem aut | quantum ad effectum spiritualem; non quantum ad effectum corporalem, quia non omnis baptizandus est energumenus, nec quantum ad effectum spiritualem, quia per exorcismum nullus liberatur nec a pena | nec a culpa; ergo frustra fit. *E14va*

[A2-B2] Item *prius* est expellenda *causa quam effectus; set peccatum est causa quare* demon in hominibus *habet potestatem; ergo prius debet*

M180vb homo | mundari a peccato per baptismum, ut postea liberetur a potestate demonis per exorcismum.

[A3-B3] In contrarium est quod dicit CELESTINVS PAPA, et habetur 15
De consecr. dist. 4 c.: *Siue paruuli siue iuuenes ad regenerationis ueniunt sacramentum, non fontem uite uideant antequam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus immundus ab hiis abigatur.*

[A4-B4] Responsio. Dicenda sunt duo: primum est quid sit exorcismus et quare fiat; secundum est utrum exorcismus ex opere operato 20
habeat aliquem effectum.

K13ra [A5-B5] Quantum ad primum sciendum est quod exorcismus est idem quod adiuratio per quam demonis potestas arcetur ne impediatur baptismum, quia sicut est in generatione naturali, sic uidetur *quod debeat* esse in regeneratione spirituali; set in generatione naturali sic est quod generans prius remouet dispositiones impediens susceptionem forme, antequam introducat formam; ergo similiter *est* in regeneratione spirituali, que est per baptismum, quod prius remouenda sunt ea que possunt impedire susceptionem uite spiritualis, ut est potestas 30
L13ra demonis, quam accepit in | hominem ex peccato primorum parentum, quam introducatur per baptismum uita spiritualis; illud autem fit per

- exorcismum; ergo exorcismus debet precedere | baptismum. Et hoc est Na74va
 quod dicit RABANVS De institutione clericorum, et recita-
 35 tur De consecr. dist. 4, ubi dicitur sic: *Postquam baptizandus per*
confessionem uere fidei in alterius se commendauerit dominium et | per M181va
abrenuntiationem a prioris possessoris se alienauerit seruitio, exsufflatur ab
eo potestas seua ut per pium sacerdotis ministerium Spiritui Sancto cedat
fugiens spiritus malignus.
- 40 [A6-B6] Quantum ad secundum sciendum est quod quedam fiunt
 in exorcismo quorum uirtus est solum in significando, quedam autem
 quorum uirtus est in efficiendo illa que solum significant, consistunt in
 factis absque uerbis, ut sal in ore positum et linitio narium et aurium
 cum sputo et unctio olei in pectore et inter scapulas. Primum enim
 45 significat discretionem diuine sapientie; secundum, scilicet linitio na-
 rium et aurium, significat aptitudinem respectu fidei discende et appro-
 bande (auditus enim aurium maxime proficit ad doctrinam, nares uero
 de odore iudicant); tertium uero, scilicet olei unctio, significat expedi-
 tionem hominis ad pugnam contra hostem; tria autem *alia* pertinentia

ad exorcismum sequuntur baptismum, scilicet chrismatio in uertice, 50
 que significat gratiam Christi descendisse in baptizati mentem, tradi-
 tio cerei accensi in signum claritatis fidei, et candida uestis in signum
 innocentie restitute. Alia uero efficiunt quod significant et consistunt
 in factis simul et uerbis, ut exsufflatio et insufflatio cum uerbis ad hoc
 institutis, que sunt *Maledicte, exi ab eo*, et manuum impositio cum 55
 benedictione. Primum enim significat et efficit expulsionem demonis
 ne impediat baptizandum a susceptione baptismi; secundum precludit
 V91ra ei uiam redeundi. Et quod ita sit, patet ratione | et auctoritate. Ra-
 tio est quia in ritu Ecclesie, que regitur Spiritu Sancto, nichil efficitur
 frustra uel | falso; set nisi predicta uerba efficerent quod significant, 60
 M181rb maxime illa que proferuntur imperatiue, ut adiuratio demonis, frustra
 proferrentur et quasi falso; ergo habent efficaciam faciendi id quod
 significant. Ad idem est auctoritas AVGVSTINI De s y m b o l o lib. I, et
 recitatur D e c o n s e c r. dist. 4 c. *Sicut nostis*, ubi dicitur sic: *Paruuli*
exsufflantur et exorcizantur ut pellatur ab eis potestas diaboli inimica; et 65
 idem dicitur c. *Dehinc iterum*. Tamen non propter hoc exorcismus est
 sacramentum, quia uirtus eius non est ad spiritualem effectum, qui sit

remotio culpe uel pene pro culpa debite, | set est solum ad remouendum impedimentum, quod posset impedire susceptionem sacramenti. P98va

70 [A7-B7] Ad primum argumentum dicendum quod | per exorcismum demon expellitur quantum ad effectum corporalem non intrinsecum, quia non oportet baptizandum esse energumenum, set extrinsecum, quia compescitur ne impediatur baptizandum a susceptione sacramenti. E14vb

75 [A8-B8] Ad secundum dicendum quod, *quando effectus confirmat et roborat causam, tunc primo laborandum est ad curandum effectum, ut postea melius procedatur ad curationem cause; potestas autem demonis in hominem, licet sit ex peccato primorum parentum, firmat tamen adultum in malitia et paruulum impedire potest a susceptione baptismi,*
 80 *in quo procuratur salus nostra; et ideo conuenienter prius debilitatur potestas demonis per exorcismum ut postea liberius et conuenientius salus detur paruulo per baptismum.*

<DISTINCTIO SEPTIMA
QVESTIO PRIMA
VTRVM CONFIRMATIO SIT SACRAMENTVM>

- K13rb* [A1-B1] *Nunc de sacramento confirmationis* etc. Circa distinctionem
M181va istam primo queritur utrum confirmatio | sit sacramentum. Et uide- 5
tur quod non, quia eiusdem uirtutis, scilicet fidei actus, sunt credere
et confiteri (actus enim interior et exterior in idem principium redu-
Z160ra cuntur | ordine quodam); set sacramento baptismi attribuitur actus
credendi, cum baptismus sit sacramentum fidei; ergo eidem debet at-
tribui confessio fidei; set ad hoc ponitur confirmatio; ergo ipsa non est 10
sacramentum per se a baptismo distinctum.
- Na74vb* [A2-B2] Item *sacramenta habent* uirtutem | *ab institutione diuina;*
set confirmatio non legitur a Deo instituta; ergo non est sacramentum.
- L13rb* [A3-B3] In contrarium est quod dicit MELCHIADES PAPA, et habe- 15
tur De consecr. dist. 5 | c. *De hiis uero: Scitote utrumque magnum*
esse sacramentum, scilicet baptismum et confirmationem.
- [A4-B4] Responsio. Videnda sunt duo: primum est an confirmatio
sit sacramentum; secundum est utrum sit necessarium ad salutem.
- [A5-B5] Quoad primum dicendum est quod confirmatio est sa-
cramentum a baptismo distinctum, quod potest probari tripliciter, 20

primo ex conuenientia uite corporalis ad spiritualem sic: sicut est in
 uita naturali, sic suo modo est in uita spirituali; set in uita naturali sic
 est quod preter generationem, per quam uita acquiritur, requiritur alia
 actio, per quam homo ad perfectam quantitatem et uirtutem produ-
 25 citur, scilicet augmentum; ergo similiter in uita spirituali preter rege-
 nationem spiritualem, que fit in baptismo, per quam uita acquiritur,
 requiritur alia actio sacramentalis, per quam uita spiritualis ad perfec-
 tam uirtutem deducitur; hoc autem fit per confirmationem, in qua
 datur Spiritus Sanctus ad perfectum robur; ergo etc. Et hoc est quod
 30 dicitur De consecr. dist. 5 c. 1: *Omnes fideles per manus | imposi-* M181vb
tionem episcoporum Spiritum Sanctum accipere debent ut pleni christiani
inueniantur. Secundo patet idem ex effectu ad quem ordinatur, sic: ad
 actum qui habet spiritualem difficultatem opus est spirituali adiutorio;
 set preter difficultatem que est in credendo spiritualis difficultas est in
 35 confitendo fidem tempore persecutionis et quando ex persecutione im-
 minet periculum mortis (licet enim ad simplicem confessionem fidei | V91rb
 tempore pacis sufficiat uirtus fidei, tamen ad confessionem fidei coram
 persecutore, ubi est periculum mortis, non sufficit fides, set cum fide
 requiritur uirtus fortitudinis, que est circa pericula mortem inferentia,

ut dicitur III E t h i c o r u m); ergo preter sacramentum baptismi, quod 40
 est in adiutorium fidei ad credendum, requiritur aliud sacramentum,
 quod fit in adiutorium fortitudinis ad audacter confitendum, et hoc est
 sacramentum confirmationis. Ad hoc enim ordinatur, ut homo coram
 persecutore audacter fidem confiteatur. Et hoc est quod dicit MEL-
 CHIADES PAPA De consecr. dist. 5 c. *Spiritus Sanctus* dicens sic: 45
In baptismo regeneramur ad uitam, post baptismum confirmamur ad pug-
nam. Et ibidem: *Confirmatio armat et instruit ad agones huius mundi.*
 Tertio apparet idem ex causa cui conformamur sic: per sacramentum
 unimur et conformamur Christo; Christus autem non solum est pater
 noster, set sacerdos et rex; sicut ergo per baptismum conformamur ei 50
 ut patri filii per baptismum regenerati, et sicut per ordinem confor-
 mamur ei ut ministri summo sacerdoti, sic oportet quod per aliquod
 sacramentum conformemur ei ut milites suo regi; et hoc fit per confir-
 mationem, per quam ascribimur ei ut milites ad pugnam spiritualem |
 contra aduersarios fidei; quare etc. Et sic patet primum. 55

M182ra

[A6-B6] Quantum ad secundum dicendum quod non est sacramentum simpliciter necessarium ad salutem. | Est tamen necessarium in casu, scilicet quando imminet persecutor coram quo fides est confitenda, et habetur copia ministri confirmare uolentis et ualentis. Quod
 60 non sit necessarium simpliciter ad salutem, patet, quia | paruuli baptizati, si ante confirmationem decedant, saluantur. Quod autem sit necessarium in casu persecutionis, potest probari sic: quando effectus est necessarius, et causa est necessaria; set effectus confirmationis, scilicet confiteri fidem tempore persecutionis, est necessarius ad salutem cui-
 65 libet fidei; | ergo et sacramentum confirmationis est necessarium ad salutem in tali casu, si habeatur oportunitas conferentis. Qui enim in tali casu renueret sacramentum confirmationis accipere peccaret mortaliter. Propter quod dicit MELCHIADES * ubi supra: *Quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, uicturis tamen necessaria sunt confirmationis | auxilia.*
 70

E15ra

P98vb

K13va

Na75ra

[A7-B7] Ad primum argumentum dicendum quod confiteri fidem absolute tempore pacis est actus fidei, set confiteri tempore persecutionis, quando ex confessione imminet periculum mortis, pertinet ad uirtutem fortitudinis supposita fide. Et ad illud perficit confirmatio post baptismum.
 75

[A8-B8] Ad secundum dicendum quod hoc sacramentum institutum fuit a Christo, nec obstat quod non legitur eius institutio, quia *multa fecit que non sunt scripta*, ut dicitur I o h. ultimo. Forte tamen eius institutio fuit per Apostolos primitus promulgata publice, precipue post missionem Spiritus Sancti in die Pentecostes.

80

<QUESTIO SECVNDA

VTRVM CHRISMA SIT MATERIA CONVENIENS HVIVS SACRAMENTI>

[A1-B1] Secundo queritur utrum chrisma sit conueniens materia huius sacramenti. *Et* uidetur | quod non, quia ritus sacramentorum traditus est nobis ab Apostolis; set ipsi non leguntur confirmasse |
M182rb |
Z160rb |
 mediante chrismate, set solum per manuum impositionem, ut *legitur* A c t . 8; ergo chrisma non est materia confirmationis. 5

[A2-B2] Item distincta sacramenta non uidentur communicare in eadem materia; set chrisma est materia in sacramento ordinis quantum ad consecrationem episcopalem; ergo non est materia in sacramento confirmationis. 10

L13va [A3-B3] In contrarium | est quia forma uerborum facit expressam mentionem de chrismate tamquam de materia; dicitur enim sic:

15 *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis* uel sanctificationis, quod idem est.

[A4-B4] Responsio. | Videnda sunt duo: primum est que sit materia huius sacramenti; secundum quis sit usus materie in ipso. V91va

20 [A5-B5] Quantum ad primum sciendum est quod chrisma est materia huius sacramenti conueniens et non quodcumque chrisma, set consecratum per episcopum. Primum patet, quia illud est conueniens materia sacramenti quod habet maximam conuenientiam cum effectu eius (sacramenta enim ex naturali similitudine representant, ut dicit HVGO D e s a c r a m e n t i s); set chrisma habet maximam conuenientiam cum effectu confirmationis; ergo etc. Minor probatur, quia confirmatio, ut dictum est, ordinatur ad audacem confessionem fidei tempore persecutionis; ad hoc autem requiruntur duo: *nitor fidei in firma credulitate cordis* et *odor fame in confessione oris*; | primum representatur in oleo quod est nitidum, maxime oleum oliuarum, quod est simpliciter et antonomastice oleum, secundum autem significatur in balsamo B29va

M182va quod est maximi odoris et preseruat a corruptione. Et ideo | chrisma 30
compositum ex balsamo et oleo est conueniens materia confirmationis.

[A6-B6] Quod autem illud chrisma oporteat esse consecratum,
QVIDAM probant sic: quorumcumque sacramentorum materia fuit
Christo corporaliter applicata, illa materia non indiget noua conse-
cratione, quia tactu Christi consecrata fuit; unde CHRISOSTOMVS dicit 35
quod *numquam aqua baptismi peccata credentium purgare posset, nisi
tactu dominici corporis sanctificata fuisset*; et ideo aqua baptismi, quan-
tum est de necessitate sacramenti, non oportet quod prius benedica-
tur quam sacramento applicetur. Idem est de materia eucharistie, quia
Christo fuit applicata et ab ipso benedicta (dicitur enim *M a t t h . 26* 40
et *L c . 22: Accepit Iesus panem et benedixit similiter et calicem*); et ideo
non oportet quod materia prius benedicatur quam forma uerborum
sacramentalium super ipsam proferatur. Secus autem est de chrismate
et oleo sancto et oleo infirmorum; oportet enim quod prius benedican-
tur quam exhibeantur ad usum sacramenti, quia *Christus non est usus* 45
*uisibilibus unctionibus ne feret iniuria inuisibili unctioni, qua unctus est
pre consortibus suis*.

E15rb [A7-B7] Set istud non *ualet*: primo, quia, si applicatio materie
ad Christum reddit eam sanctificatam, uidetur quod non solum non
oporteat eam sanctificare ad hoc quod sit materia baptismi, set etiam, 50

si sanctificetur, quod fiat iniuria priori sanctificationi, sicut IPSI *dicunt*
 de unctione. Item falsum est quod Christus non fuit usus unctionibus
 uisibilibus; dicitur enim I o h . 12 quod *Maria | accepit libram unguen-* *K13vb*
ti nardi pistici et unxit pedes Iesu; | et L c . 7 dicitur quod osculabatur pe- *M182vb*
 55 *des eius et unguento ungebat;* et Christo mortuo unctum est corpus eius
 per Nicodemum, | ut dicitur I o h . 19; ergo falsum est quod Christus *P99ra*
 non fuerit unctus uisibilibus unctionibus.

[A8-B8] Dicendum est ergo aliter quod materia sacramenti est qua-
 si | quoddam instrumentum quo minister utitur; propter quod mate- *Na75rb*
 60 ria debet congruere ministro et minister materie. In quocumque ergo
 sacramento minister est determinatus aliqua ordinatione, materia est
 determinata aliqua benedictione; et ubi unum non est, nec alterum,
 sicut patet in baptismo, cuius minister non est determinatus certa ordi-
 natione (potest enim quilibet baptizare), nec materia, quantum est de
 65 necessitate sacramenti, indiget aliqua benedictione. Set in sacramento
 confirmationis minister est determinatus certa ordinatione, scilicet epis-
 copali; et ideo necessarium est materiam esse determinatam certa be-
 nedictione. Ergo de chrismate non benedicto nullus confirmare posset.
 Et sic patet que sit materia.

70 [A9-B9] Circa secundum, scilicet circa usum materie in hoc sacra-
 mento, sciendum est quod usus eius est in consignatione frontis in

modum crucis et utrumque est de necessitate sacramenti. Cuius ratio
V91vb est | quia actus ad quem perficit confirmatio est libera confessio fidei
 Christi; potest autem aliquis impediri a libera confessione propter duo, 75
 scilicet propter timorem mortis, qui est timor pene, et propter confu-
 sionem, que est timor ignominie; utriusque autem signum precipue in
 fronte manifestatur (palescunt enim timentes et rubescunt uerecun-
 dati, ut dicitur IV E *t* h *i* c *o* r *u* m); et ideo in confirmatione, que fit
M183ra per liberam confessionem, unctio | fit in fronte. Fit etiam in modum
 crucis, sicut patet ex forma uerborum *Consigno te signo crucis*, quia 80
 confessio fidei quoad articulum passionis maximam habet erubescen-
 tiam, ut dicit APOSTOLVS I C *o* r. 1: *Nos autem predicamus Christum*
crucifixum, iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Et ideo
 ad confirmandum hominem contra hanc erubescen- 85
 tiam fit in fronte per modum crucis. Et sic apparet secundum.
Z160va [A10-B10] Ex quibus | potest concludi tertium, scilicet quod in
 confirmatione imprimitur character, quia omne sacramentum per quod
L13vb aliquis deputatur ad aliquod sacrum imprimit characterem | (character
 enim nichil aliud est quam potestas uel deputatio ad actum sacramen-
 ti, ut patet ex precedentibus); set per baptismum, confirmationem et 90
 ordinem deputatur homo ad actum sacrum, per baptismum quidem
 passiuè ad recipiendum sacramenta (nullus enim non baptizatus est
 susceptiuus sacramentorum; per ordinem uero deputatur quis ad col-

95 lationem eorum, precipue per maiores ordines, ut per sacerdotium uel
episcopatum, per inferiores uero ordinantur ad quosdam actus sacros
secundarios; confirmatio autem ordinatur ad audacem confessionem
fidei); propter quod ista tria sacramenta imprimunt caracterem et per
consequens non debent reiterari ne fiat iniuria sacramento, cum ca-
100 racter sit effectus sacramenti indelebilis.

[A11-B11] Ad primum argumentum dicendum quod Apostoli non
confirmabant sine chrismate, quamuis non legatur in Scriptura ca-
nonica; dicit enim DYONISIUS 4 cap. Ecclesiastice | ierarchie M183rb
quod est quedam *perfectiua operatio quam duces nostri*, quos Apostolos
uocant, *chrismatis hostiam nominant*. Potuit tamen esse quod preter
105 legem communem Deus ex speciali gratia dedit aliquibus effectum
confirmationis sine sacramento, cum ad impositionem manuum Apo-
stolorum dabatur Spiritus Sanctus sub uisibilibus signis; sacramentum
tamen confirmationis semper dabant Apostoli mediante chrismate se-
cundum communem legem sacramenti.

110 [A12-B12] Ad secundum dicendum quod distinctio rerum est ex
parte forme et non ex parte materie principaliter; *actus enim separat
et distinguit*; propter quod nichil prohibet eandem materiam esse in
diuersis sacramentis cum distincta forma uerborum. Et sic est de chris-
mate in confirmatione et ordine, quia sibi adduntur diuerse forme.

<QVESTIO TERTIA

VTRVM SACRAMENTVM CONFIRMATIONIS POSSIT
EX COMMISSIONE PAPE AB ALIO CONFERRI QVAM AB EPISCOPO>

[A1] Tertio queritur utrum sacramentum confirmationis possit ex commissione Pape ab alio conferri quam ab episcopo. Videtur quod sic, quia *maius est conferre minores ordines quam confirmationem; set presbiteri cardinales ex commissione Pape conferunt minores ordines*; ergo simili commissione possunt conferre confirmationem.

deest B

5

[A2] Item MAGISTER dicit in littera quod GREGORIUS commisit quod sacerdotes simplices in absentia episcoporum possent confirmare, ut habetur in *Decreto* dist. 95 c. *Peruenit*; hoc autem non fecisset, nisi facere potuisset; ergo etc.

10

[A3] In contrarium est quia, sicut se habent ea que sunt sacerdotis ad sacerdotem, ita que sunt episcopi ad episcopum; set ea que sunt sacerdotis non possunt ex commissione Pape fieri per non sacerdotem; ergo ea que sunt episcopi, sicut est confirmatio, prout in littera dicitur, non possunt ex commissione | Pape fieri per non episcopum.

15

V92ra

[A4] Responsio. Hic est unum supponendum et aliud inquirendum. Supponendum est quod minister sacramenti confirmationis sit episcopus; inquirendum autem est utrum alius ab episcopo possit ex commissione Pape confirmationem con-

20

25 ferre. Hoc tamen supponitur rationabiliter: primo, quia concordat *Scripture* (non enim legitur hoc sacramentum tempore
 Apostolorum ab alio fuisse collatum quam ab Apostolis, quorum uicem gerunt episcopi); secundo ex determinatione Ecclesie, que habetur *De consecr.* dist. 1 c. *Manus*, et tangitur a
 30 *MAGISTRO* in littera; tertio ex probabili ratione, quia ad illum qui est supremus in aliquo statu pertinet ordinare et disponere
 de illis qui sub ipso in aliquo gradu preficiuntur populo communi, sicut ad principem exercitus pertinet ordinare de centurionibus et decurionibus; set episcopus in ordine ecclesiastice
 35 ierarchie est supremus; ergo ad episcopum pertinet illa sacramenta dispensare per que aliquis constituitur in aliquo gradu super communem populum. Hec sunt autem confirmatio, per quam aliquis efficitur miles fidei defendende, et ordo, per quem efficitur quasi dux aliorum; ergo ad episcopum pertinet dispensare sacramentum ordinis et confirmationis. Hoc ergo supponatur. Et dato quod non supponeretur, nichilominus deductio
 40 sequentis articuli locum haberet, ut patebit.

[A5] Quantum ad secundum, quod principaliter queritur, scilicet utrum simplex sacerdos ex commissione Pape possit sacramentum confirmationis conferre, duplex est opinio. Prima
 45 est aliquorum qui dicunt quod *tanta est Pape auctoritas quod quilibet potest* ex eius commissione *conferre* alteri sacramentum quod habet, sicut *confirmatus* potest alium *confirmare* et *sacerdos* alii *sacerdotium conferre* et *diaconus diaconatum*, et sic de aliis; *non autem potest aliquis conferre* sacramentum quod non habet,
 50 etiam ex commissione Pape, quia *nemo dat* alteri quod non habet.

deest B

[A6] Istud autem est manifeste falsum: primo, quia si nullus potest conferre sacramentum quod non habet, non baptizatus non posset baptizare, quod falsum est, ut patet ex precedentibus. Et iterum sacerdos non inunctus non posset infirmum inungere et rusticus in infirmitate inunctus, si curaretur, posset postea infirmos inungere; hoc autem est manifeste falsum, ut patet ex determinatione Sacre Scripture I a c. ultimo: *Infirmitur quis in uobis, inducat presbiteros Ecclesie* etc.

[A7] Secundo, quia actus sacramenti suscepti aut est ad conferendum simile sacramentum aut non. Si est ad conferendum simile sacramentum, tunc sine aliqua commissione quilibet posset conferre sacramentum quod habet, quod nullus dicit. Si uero non ordinetur ad conferendum simile sacramentum, tunc ex commissione Pape quilibet potest eque conferre sacramentum quod habet sicut illud quod non habet, cum actus sacramenti suscepti nichil ad hoc faciat. Dicere uero quod *nullus dat quod non habet*, et hoc assignare pro causa quod qui non recipit aliquod sacramentum non posset conferre simile, omnino ridiculum est, sic intelligendo sicut IPSI intelligunt; est enim simile acsi diceretur quod non possem dare tibi alapam nisi suscepissem aliam; non enim oportet quod illud quod datur alteri habeatur a dante formaliter, set sufficit quod habeatur uirtualiter. Et ideo non oportet ad collationem sacramenti quod conferens receperit simile sacramentum, set sufficit quod habeat in uirtute.

[A8] Alia opinio est QVORVNDAM qui dicunt quod Papa potest committere alicui non episcopo quod confirmet et conferrat minores ordines; oportet tamen quod ille cui committitur

deest B

55

60

65

70

75

sit sacerdos. Primum declaratur sic: *episcopatus nichil addit super*
sacerdotium per relationem ad corpus Christi uerum, set solum per
 80 *relationem ad corpus Christi misticum, nec Papa, qui est episcoporum*
supremus quoad iurisdictionem, dicitur habere plenitudinem
 | *potestatis per relationem ad corpus Christi uerum, set per relatio-*
nem ad corpus Christi misticum. Ex hoc sic arguitur: ille qui habet
 plenitudinem potestatis super corpus Christi misticum potest
 85 committere dispensationem sacramentorum quorum actus sunt
 circa corpus misticum; set Papa est huiusmodi; confirmatio autem
 et minores ordines sunt talia sacramenta quorum actus sunt
 circa corpus Christi misticum et non circa corpus Domini uerum
 – in hoc enim differunt minores ordines a maioribus, quia
 90 maiores ordines habent actus circa corpus Christi uerum (sacerdotium
 quidem in consecrando, subdiaconatus in preparando materiam,
 diaconatus in offerendo materiam preparatam, et ideo nullus non
 episcopus potest ex commissione cuiuscumque conferre hos ordines,
 quia actus eorum sunt circa corpus Chisti
 95 uerum, respectu cuius Papa non habet plenitudinem potestatis),
 minores autem ordines nullum actum habent circa corpus Domini
 uerum et materiam eius, set habent quosdam actus secundarios
 et preparatorios, ut patet de ostiario et ceteris minoribus; et idem
 est de confirmatione, cuius actus est confiteri fidem ad
 100 edificationem Ecclesie –; ergo tam minores ordines quam confirmatio
 possunt a non episcopo conferri ex commissione Pape.

[A9] Secundum probatur sic, scilicet quod talis commissio non
 possit fieri nisi sacerdoti, quia *omnis sacramentalis operatio per*
quam descendit gratia in corpus Christi misticum dependet a sacra-
 105 *mentali operatione que est super corpus Christi uerum,* quia a solo

deest 8

V92rb

Christo est gratia in populo; set *solus sacerdos* habet potestatem super corpus Christi uerum; ergo sibi soli committi potest dispensatio sacramentorum per que descendit gratia in corpus <Christi> misticum; talia sunt confirmatio et minores ordines; quare etc.

deest 23

[A10] ALIIS non placet hec opinio, nec quantum ad conclusionem nec quantum ad rationem. Conclusio enim non uidetur uera propter quatuor. Primum est quia de integritate cuiuslibet sacramenti sunt materia, forma et minister; set Papa nichil potest mutare circa formam sacramentorum uel circa materiam; ergo nec circa ministrum. Igitur aut simplex sacerdos ex diuina institutione est minister confirmationis, et tunc absque commissione Pape potest eam conferre, aut non est minister, set solus episcopus, et tunc ex quacumque commissione nichil potest.

110

[A11] Ad hoc tamen posset aliquis dicere quod minister non sic est de integritate sacramenti, sicut forma et materia, quia forma et materia sunt intrinseca sacramento, minister autem extrinsece ad ipsum se habet, propter quod aliqua uariatio potest fieri circa ministrum absque preiudicio sacramenti, que non potest fieri circa materiam uel formam. Quod patet in sacramento penitentie, in quo fieri potest per Papam circa ministrum uariatio et etiam fit, ut cum Papa dat aliquibus priuilegium absoluendi qui prius absolvere non poterant, uel cum substrahit ab hiis qui prius eam habuerunt, numquam autem mutare potest materiam uel formam sacramenti penitentie. Et similiter uidetur quod possit facere circa alia sacramenta, ut scilicet possit uariare ministrum, non autem materiam uel formam.

115

120

125

130

[A12] Set istud non ualet: primo, quia Papa circa sacramentum penitentie non mutat ministrum, quia eius minister est

omnis sacerdos, cum omni sacerdote dicatur in sua ordinatione:
 135 *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis et quorum retinueritis retenta sunt;* set substrahit materiam isti uel illi sacerdoti, sicut ei placet, quod est pro tanto, quia cum sacramentum penitentiae sit iudiciale, materia illius sacramenti est peccator subditus; potest autem facere quod subditus isti sacerdoti ei amplius | non subdatur, et sic substrahit ei materiam
 140 absoluendi, qua subtracta non potest soluere uel ligare, sicut si sacerdoti substraheretur panis et uinum, non posset conficere; similiter Papa potest alicui subdere illum qui prius non erat sibi subditus, et tunc poterit absolvere qui prius non poterat ex defectu materiae; non mutat ergo Papa ministrum penitentiae, sicut nec in aliis sacramentis, set dat materiam uel substrahit. Vel alio modo potest dici quod Papa ministrum alicuius sacramenti mutare non potest, potest tamen precipere quod nullus sacramenta recipiat a tali uel a tali ministro, et tunc recipiens contra inhibitionem Pape peccat nec recipit gratiam; et quantum ad sacramentum penitentiae aut nichil omnino recipit, nec sacramentum nec rem sacramenti, non quia sacerdos non sit minister, set quia confessio non est integra quando tacet peccatum quod actu committit, et sic est defectus in materia, aut si non tacet,
 150 nichilominus non recipit rem sacramenti, scilicet gratiam, cum actu remittat culpam, est tamen uerum sacramentum; et quia totus effectus penitentiae est remissio culpe, ideo sacramentum penitentiae est in tali iterandum, sicut omne aliud sacramentum per quod nichil penitus esset factum. Nec ualet quod dicitur:
 160 “minister extrinsece se habet ad sacramentum, materia autem et forma intrinsece”, quia sicut minister conferens se habet extrinsece ad sacramentum, ita et suscipiens ipsum; set ubi susci-

deest B

V92va

piens aliquod sacramentum est determinatus, sicut in extrema unctione infirmus uel in ordine masculus, per Papam mutari non potest, et si fiat, nullum est sacramentum, ut si sanus inungatur uel mulier ordinetur; ergo similiter circa ministrum nichil omnino mutari potest absque euacuatione sacramenti, quamuis extrinsece se habeat ad sacramentum.

[A13] Secundo patet principaliter idem sic: dispensare sacramenta quorum actus respiciunt corpus mysticum aut conuenit Pape et episcopis ratione iurisdictionis, aut ratione consecrationis. Non ratione iurisdictionis, quia cum Papa electus et episcopus confirmatus habeant plenam iurisdictionem, antequam sint consecrati, possent tunc hec sacramenta dispensare seu conferre, quod falsum est; ergo non conuenit eis ratione iurisdictionis, set ratione consecrationis; set ea que consecrationem respiciunt non consecrato committi non possunt, ut habetur *Extra de consecr. Ecclesie uel altaris c. penultimo Aqua*; ergo Papa uel episcopus non possunt committere non episcopo quod possit talia sacramenta conferre.

[A14] Tertio patet idem sic: Papa non habet maiorem potestatem in collatione confirmationis uel ordinis quam quicumque episcopus, licet habeat maiorem potestatem in foro causarum; si ergo ex commissione Pape simplex sacerdos potest confirmationem uel minores ordines conferre, idem poterit sacerdos quilibet ex commissione proprii episcopi, quod a nullo conceditur.

[A15] Quarto potest idem probari sic: sicut in baptismo confertur potestas suscipiendi sacramenta, sic in ordine con-

deest B

165

170

175

180

185

fertur potestas dispensandi ea; set Papa non potest facere quod
 190 non baptizatus suscipiat uerum sacramentum; ergo non potest
 facere quod non ordinatus illa ordinatione qua quis recipit po-
 testatem dispensatiuam confirmationis uel ordinis possit hoc
 sacramentum conferre (mirum enim esset si aliquis posset in
 actum respectu cuius non habet potentiam). Secundum istos
 195 autem character ordinis | et baptismi sunt potestates suscipiendi
 uel conferendi sacramenta; characterem autem ordinis uel bap-
 tismi nullus potest habere ex commissione Pape; set requiritur
 susceptio sacramentorum; ergo non habenti characterem ordi-
 nis per susceptionem sacramenti non potest per quemcumque
 200 committi actus illius ordinis. Tunc deducatur, ut prius, quod
 minister confirmationis aut est ordinatus ordinatione episco-
 pali aut simplicis sacerdotii; si episcopali, committi non potest
 episcopo; si simplicis sacerdotii, non est necessaria commissio,
 nisi forte propter prohibitionem Ecclesie ad uitandum culpam
 205 inobedientie. Ex hiis ergo uidetur quod ex commissione cuius-
 cumque nullus posset conferre sacramentum quod non posset
 conferre ex se.

[A16] Ratio etiam precedentis opinionis non uidetur con-
 cludere. Cum enim dicunt quod Papa habet plenitudinem po-
 210 testatis super corpus mysticum, uerum est duplicem: unam qua
 potest omnia sacramenta dispensare, set non committere, cum
 hec sit potestas consecrationis, in qua cum ipso communicant
 omnes episcopi; aliam potestatem habet, que est iurisdictionis
 in statuendo, citando, excommunicando, dispensando, in qua
 215 nullus ei equatur, et hanc potest committere cui uult in toto uel
 in parte. Set de hac nichil ad propositum, set solum de prima,
 que committi non potest.

*deest B**V92vb*

[A17] Quod etiam dicitur quod illa commissio non potest fieri nisi sacerdoti qui habet potestatem super corpus Domini uerum, non uidetur cogere, quia a corpore Domini uero considerato secundum se uel in se, puta passo uel mortuo, effluit gratia in corpus mysticum, et non ab ipso solum ut est in sacramento; sacerdos autem non habet potestatem super corpus Domini uerum, ut est in se, set solum ut est in sacramento; et ideo quantum est de uirtute rationis non est necessarium quod sibi soli competat dispensatio sacramentorum, per que effluit gratia in corpus Christi mysticum. Quod etiam patet, quia alius a sacerdote potest conferre baptismum quantum est de ratione sacramenti, licet ex institutione Ecclesie solus sacerdos habeat auctoritatem ministerii.

[A18] Ad primum argumentum dicendum quod eque dubium est de minoribus ordinibus sicut de confirmatione; non enim bene claret quomodo possint a non episcopo conferri, si solus episcopus ex ordinatione Christi sit horum sacramentorum minister; si uero omnis sacerdos minister est, set ex ordinatione Ecclesie reseruatur solis episcopis, tunc quilibet sacerdos uere potest confirmare et minores ordines conferre, licet peccet conferendo faciens contra statutum <Ecclesie>. Ecclesia enim potest artare ministrum suo statuto, set non potest irritare sacramentum concurrentibus hiis que sunt de necessitate sacramenti. Et si hoc est uerum, tunc GREGORIVS potuit conferre sacerdotibus quod <licite> confirmarent, quia alias peccassent confirmando, licet uere confirmassent. Si autem non est ita, set solus episcopus est minister, nescio cur non possit dici quod GREGORIVS, cum fuerit homo et non Deus, potuerit errare.

deest 23

220

225

230

235

240

245

[A19] Et per hoc patet ad secundum. Videtur autem quod proprius minister confirmationis sit episcopus, precipue per illud quod dicitur *De consecr. dist. 5 c. Manus*; minister autem minorum ordinum uidetur esse simplex sacerdos, ut patet per illud quod dicitur *Extra de ordinato ab episcopo, qui renuntiauit episcopatu c. 1*, quamuis non appareat manifesta ratio quare altiorem ministrum requirat confirmatio quam minores ordines.

deest 3